GRAMMATICA
DIALECTI EPICAE.

VOLUMINIS PRIMI

LIBER PRIMUS.

CONTINENS QUATUOR CAPITA:

I. DE ALPHABETO GRAECO.
II. DE DIGAMMATE.
III. DE ASPIRATIONE.
IV. DE ACCENTU.

AUCTORE

AUGUSTO GRAEFENHAN

PHILOS. DOCT.

LIPSIAE,
SUMTIBUS J. C. HINRICHSII.
MDCCCXXXVI.

PROOEMIUM.

Molestissimum profecto atque insuavissimum laborem suscipiunt, qui linguae graecae grammaticam construere conentur neque simul scripta, ex quibus materiam depromunt, summae eruditionis et suavitatis fontes habeant. Sunt quos vocabulorum singulorum contemplatio magis juvet, quam locorum classicorum, in quibus illa leguntur, dulcedo; sunt qui grammaticorum scriptis studere malint, quam scriptorum optimorum operibus. Unde hoc mirum antiquitatis studium? — Trahit sua quemque voluptas! Pro sua quisque sapientia materiam eligit eamque pertractando delectationem suam capit. Haec est summa literarum virtus, quae omnibus ingeniis omnes voluptates praebeat. Nemo unquam literis deditus desiderat literarum partem indoli suae aptam jucundamque. Nemini igitur invideamus voluptatem, quam ex literarum qualecunque sit studio percipit. Grammatici, qui toto animo res grammaticas amplectuntur, etiam tum, quum totius linguae naturam negligunt et singulares tantum ejus partes adamant, haud spernendi, sed laboris universalis socii habendi et pro partibus actis aestimandi sunt. Quas equidem partes egerim, Viri Docti me eruditiores primo oculorum obtutu facile perspicient.

Quum ante quinque fere abhinc annos munus discipulos literis instituendi susciperem et Homeri carmina coram illis interpretandi mihi injungeretur provincia, aeque elaborabam, ut in munere administrando religiosus essem, atque laetabar, quod occasio jucundissima Homeri carmina legendi et relegendi mihi data erat. Quanquam potissimum res, quae Homericis carminibus continentur, historicas et antiquarias indagare et inde

eruditionem et studii dulcedinem quaerere institueram, tamen me invito quasi, ut ad linguae epicae naturam diligentius animum adverterem, adductus sum.

Multis sane aliis idem accidit ut, argumento operis alicujus percognito superatisque interpretationis difficultatibus, animus, nunquam iis quae percepit contentus, ad illas res intendat, quas a principio tanquam molestas atque oblectationi, quam poetarum studium secum fert, infestas neglexit. Et haec est, ut mihi videtur, vera ratio carmina legendi et relegendi. Is qui primo vel secundo carmen aliquod legit, dulcedine ejus et suavitate gaudeat neque voluptatem subtilioribus grammaticae contemplationibus turbet. Tum demum, quum principales carminis virtutes cognoverit, tam linguae totius quam singulorum vocabulorum naturam accuratius inquirat.

Equidem hanc legem observans, non solum Homerica sed etiam ceterorum poetarum epicorum carmina legi atque relegi. Deinde commentariis scholiisque optimis usus, magnam copiam annotationum congessi et in ordinem redegi. Quas publici juris fieri non apud me constituissem, nisi multa iis inessent, quae in grammaticis nostris aut desiderantur, aut minus apte explicantur, aut a viris studio grammatico occupatis in peculiaribus illustrantur libellis, qui in plurimorum manus non veniunt. Mea igitur collectanea denuo recensui, et quoad poteram brevissime contraxi; ea quae ordinis et contextus causa necessaria visa sunt, paucis verbis adjeci, et quae a viris doctis nostrae aetatis de eadem re scripta sunt, accurate observavi. Sic in usum juvenum, in literis graecis jamjam provectiorum, grammaticam epicae dialecti construxi.

Jam totum fere opus, cujus particulam nunc edidi, mihi confectum est, in quo agam de *literis et syllabis*, de *nomine*, de *verbo*, de *particulis* et de *syntaxi*. Toti operi librum peculiarem adjungam, in quo disputatur de Homeri et sequiorum epicorum poetarum lingua ejusque natura et indole, ubertate, suavitate, eurhythmia, de discrimine, quod antiquiores inter et

posteriores epicos poetas intercedit, nec non de lingua gnomicorum, elegicorum, epigrammatographorum etc. Quaerenti, cur unum modo librum publicaverim, me virorum doctorum exhortationem ad opus continuandum exspectare respondeo. Tu judices, Lector benigne, num specimen, quod hocce fasciculo dedi, ita comparatum sit, ut ad reliquas de dialecto epica annotationes proferendas exhortandus sim. Haec est conditio, sine qua librarius ad totius operis impressionem non descendet. Juvenili enim operi semper fere diffidunt bibliopolae. Hujusce libelli per typos exscriptio commendationi debetur *Reinholdi Klatzii*, Viri Illustrissimi et de literis Graecorum Romanorumque meritissimi. Utinam praeter eum pluribus satisfecissem ab iisque ad haec studia persequenda excitarer; brevi reliquos primi voluminis quatuor libros, doctrinam literarum *vocalium*, *consonantium*, *prosodiae* et *artis metricae* continentes, in publicum proferrem.

His verbis, quae praelocutus sum, finem imponere non possum, quin mihi de felicitate gratuler, quam expertus sum, quum mihi corrector obtigerit religiosissimus et acutissimus. Publice *K. K. G. Meinhardtio* gratias ago maximas de summa diligentia, qua has plagulas correxit.

Scripsi Muhlhusae pridie Nonas Septembres anni MDCCCXXXV.

Dr. *Aug. Graefenhan.*

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI.

Caput I. De Alphabeto Graeco.

Caput II. De Digammate sive Aspiratione Aeolica.

Caput. III. De aspiratione.

Caput IV. De accentu.

CAPUT PRIMUM.

DE ALPHABETO GRAECO.

§. 1.


Literarum signa.

Cfr. *Scaliger* ad Eusebii Chronicon. 1617. *Montfaucon*: diss. de literis graecis et lat. *Ejusd.* Palaeographia Graeca etc. Paris 1708. fol. *Fr. Jac. Bastii* comment. palaeographica, in Gregor. Cor. edit. Schaefer. Lips. 1811. *Büttner*: Vergleichungstafeln der Schriftart verschiedener Völker. Götting. u. Gotha 1771. 4. *R. P. Knight*: analytical essay on the Greek alphabet. Lond. 1791. 4. *Fr. A. Wolf*: prolegomena ad Homerum. Hal. Sax. 1795. — §. XII — XVII. pag. 50 — 78. *Amelung*: von dem Alterthum der Schreibkunst. Leipz. 1800. 8. *J. L. Hug*: Erfindung der Buchstabenschrift. Ulm 1801. 4. *Chr. Fr. Weber*: Versuch einer Gesch. d. Schreibkunst. Götting. 1807. 8. *Fr. Thiersch*: griech. Grammatik. ed. III. §. 12. et §. 40 sq. *A. Matthiae*: Gr. Gramm. ed. II. p. 20 — 25. *Ph. Buttmann*: Gramm. ampl. tom. II. p. 375 — 378. *Schöll*: in histor. liter. Graecorum. tom. I. interpret. german. p. 73 — 83. — De scriptis carminibus Homeri cf. *Maurit. Moser*: de Iliade Homerica quaestiones. Halae 1830. p. 5 — 8. et *G. W. Nitzsch*: de historia Homeri maximeque de scriptorum carminum aetate meletemata. Hannov. 1831. 4.

De origine literarum graecarum hoc loco disserere a nostro fine alienum foret. Si cui placeat, libros modo laudatos consulat, ante ceteros *F. A. Wolfii* prolegomena ad Homerum pag. LII sqq. *Herodotus* (V, 58.) relata referens, Graecos a *Cadmo* Phoenice scribendi artem didicisse, nobis tradidit. *Οἱ Φοίνικες οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι — οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέειν κ. τ. λ.* Quas tamen literas minus a Cadmo, quam Jonum commercio potius cum Graecis Europaeis intercedente in occidentem Graeciam illatas esse docuit V. Cl. *Ottofr. Müller*. Orchomenos p. 115. cf. *Wolf.* Prolegg. p. LXXXVIII. Hoc igitur tantum pro certo habendum est, graecas literas ex Asia in Europam migrasse. cf. *Guil. Gesenius*: Geschichte der hebr. Sprache u. Schrift, pag. 137 sq. 141. 160.

God. Herder: Ideen zur Geschichte d. Menschheit. tom. V, p. 251. *P. Knight:* Prolegg. ad Hom. §. 79. *Villoison*. Anecd. II. p. 121. Unde literae Graecorum — *γράμματα Φοινίκια - Καδμήϊα* — cum literis Phoenicum et Hebraeorum summam nominis et magnam signorum societatem habent. Antiquissimae literae hae fere fuerunt, quae sequuntur.

Nomina et signa hebraica		(in numis)	signa Graeca.	s. Latina.
Aleph	א		*A*	A
Beth	ב		*B*	B
Gimel	ג		*Γ*	C G
Daleth	ד		*Δ*	D
He	ה		*E*	E
Vav	ו		s. *Ϝ* digamma	F
Cheth	ח		*H*	H
Tet	ט		*Θ*	
Jod	י		*I*	I
Kaph	כ		*K*	K
Lamed	ל		*Λ*	L
Mem	מ		*M*	M
Nun	נ		*N*	N
Ajin	ע		*O*	O
Phe	פ		*Π*	P
Resch	ר		*P*	R
Sin - Schin	ש		*Σ*	S
Tav	ת		*T*	T



2. Ex signis, quae in numis hebraicis inveniuntur, satis signorum confinium apparet. Ne quis opponat, plane absimiles inter se esse ⅃ et *B*; ⅂ ⅄ et *Γ*; ◁ et *Δ*; ∃ et *E*; ⅁ et *P*; W et *Σ*. Populi enim orientales, id quod notissimum est, a dextra manu ad sinistram scribebant, ita ut scriptori commodius esset signum ∃ quam *E* etc. Graeci ipsi antiquitus duplici modo literas exarabant, quandoquidem *βουστροφηδὸν* scripserint. Exempli instar esto pars inscriptionis Sigeae:

ΦΑΝΟΔΙΚΟ : ΕΙΜΙ : ΤΟ Η
ΟΚΟΡΠΟΤ : ΣΟΤΑΡΚΟΜΡΕ
ΝΕΣΙΟ : *κ. τ. λ.*

i. e. *Φανοδίκου εἰμὶ τοῦ Ἑρμοκράτους τοῦ Προκοννησίου.*

3. Sunt, qui sedecim tantum literas fuisse antiquissimas signaque ו et ח, graece ϒ s. Ϝ et *H* serioris aetatis putent. Verumenimvero antiquitatem signi ו, digammatis Graecorum et literae *F* Romanorum, jam his probari potest argumentis. Primum in multis vocabulis a vocalibus incipientibus, ut οἶνος, i. e. Ϝοῖνος, *vinum*, cf. §. 4 sqq. nec non in mediis vocibus ut ᾠόν, i. e. ᾠϜόν, *ovum*, cf. §. 10 — 12. loco digammatis alia litera illi similis substituta est; deinde in literarum latinarum serie labialis *F* locum sextum servat, quem ו in alphabeto hebraico obtinuerat; denique Graeci numerum *sex* signo Ϝ, postea ϛ (γράμμα ἐπίσημον) indicant. Quum autem litera ϒ s. Ϝ apud Graecos abolescere et in monumentis scriptis praetermitti coepisset, ejus signum e literarum serie ejectum est. Quo facto ne numerorum literae — γράμματα ἐπίσημα — turbarentur, aliud signum ϛ (στίγμα), quod ni fallor idem est Ϝ paullisper mutatum, ad numerum *sex* insigniundum invenerunt. Accedit, quod Graeci literam *Υ* eodem signo scribebant, quo literarum sextam; quum vero *Υ* crebrius quam ϒ s. Ϝ in usu esset, non difficile est intellectu, cur illud digamma praetermiserint et *Υ* in fine alphabeti post *T* annexuerint. Idem fere sensisse *Buttmannus* mihi videtur in Lexil. I. pag. 29. Romani, qui literarum cognitionem a Graecis acceperant, utrumque signum *F* et *V*, natura linguae id flagitante, retinuerunt. De confinio literarum Ϝ et *υ* vide infra §. 4. p. 14.

4. Litera ח (Cheth), graece *H*, antiquissimis temporibus signum *aspirationis* fuit (§. 13.), quo munere in linguis recentiorum populorum etiamnum fungitur. Antequam sub Euclide archonte (Ol. XCIV, 2. a. Chr. 403.) literarum series ab *Jonibus* exculta et perfecta — Ἰωνικὰ γράμματα — Athenas migravit et in vulgari usu esse coeperat, Graeci literas aspiratas *Φ* et *X* ita pingebant, ut literas tenues *Π* et *K* cum *H* conjungerent vocesque, ut sunt ἐπευχόμενος, Ἔκφαντος hoc modo scriberent: *ΕΠΗΕΥΚΗΟΜΕΝΟΣ, ΕΚΠΗΑΝΤΟΣ*. Cf. inscriptionem Meliam apud *Thiersch.* in Gramm. gr. §. 40. Attamen mature jam signa *X* et *Φ* in inscriptionibus inveniuntur. Cf. supra inscriptionem Sigeam: *ΦΑΝΟΔΙΚΟ* i. e. Φανοδίκου. Pariter Graecis, atque *Φ* et *X* commissura literarum *ΠΗ* et *ΚΗ*, soni sibilantes *Ξ* et *Ψ* conjunctis literis *ΧΣ* et *ΦΣ* exsculpti sunt, ut *ΧΣΥΝ, ΦΣΥΧΑΙ* i. e. ξύν, ψυχαί. *ΧΣΕΝΟΚΛΗΣ ΕΠΟΙΕΣΕΝ* i. e. Ξενοκλῆς ἐποίησεν; quae verba leguntur in vase Etrusco insculpta. Litera *Z* quanquam saepius antiquitus *ΣΔ* expressa, mature tamen et fortasse una cum ceteris literis ex Oriente ad Graecos migravit. Quam quidem apud Graecos aeque atque Hebraeos et Phoenices *dsain* (ז) septimum locum alphabeti occupantem, Romani ultimam literarum collocaverunt.

5. Reliquum est, ut pauca de vocalium signis addamus. Quinto ante Christum saeculo signa *E* et *O* tum breves tum longas vocales significabant et antiquitus Graeci scribebant

E pro ε et η ut *ΑΙΘΕΡ* pro αἰθήρ·
O pro ο, ου et ω ut *ΕΧΘΡΟΝ* pro ἐχθρὸν et ἐχθρῶν, *ΕΧΟΣΙ* = ἔχωσι et ἔχουσι·
ΕΙ pro ει et ῃ ut *ΚΡΑΤΕΙ* = κρατεῖ et κρατῇ·
ΟΙ pro οι, ωϊ et ῳ ut *ΕΜΟΙ* = ἐμοί et ἐμῷ·

Inde apparet, qui fieri potuerit, ut syllabae breves ε et ο in Homericis saepius producantur. Cf. Il. I, 342. XXII, 5. ὀλοῇ, quod jam veteres critici ὀλοιῇ et ὀλωῇ emendare conati sunt. Digamma, idque duplicatum, quod nonnulli interserunt, ὀλοϝῇ sive ὀλοϝϝῇ vitio haud bene medetur. Sine dubio scriptura ὀλοῇ 'ΟΛΟΕ' s. ΟΛΟΗ ea tempora adtingit, quibus recentior scribendi ratio nondum pervulgata erat, et illa brevis vocalis verecundia librariorum in vetustissimos libros scriptos ad ea usque tempora delata est, quibus critici, incertum qua fide, non amplius verum a falso dijudicare ausi sunt.

6. De origine diphthongi ου *Buttmannus* disseruit in Lexil. I. p. 29 sq. et Gramm. ampl. I. p. 24 sq. Ut supra (5.) dictum est, ab initio signum *O* praeter ο et ω etiam ου repraesentabat, ex. c. *ΕΧΟΣΙ* = ἔχουσι, quae diphthongus ου proprie nulla est, sed vocalis anceps ŭ et ū. Cf. *Buttm.* Lexil. I. p. 29 sq. p. 301. II. p. 267. Graeci autem signo quodam hujus soni destituti, vetustiore tempore ο, seriore ου s. ȣ scripserunt. Indicio nobis esse potest βούλεσθαι et βόλεσθαι in Homericis, quam vocalis ου correptionem in ο *Buttmannus* componit cum κᾰλός et κᾱλός, ξηρός et ξερός. In codicibus antiquissimis *ΒΟΛΕΣΘΑΙ* exaratum fuisse videtur, quod postea transscriptum est βούλεσθαι in ipsis ejusmodi versibus, qui metri causa βόλεσθαι sibi postulant, ut Od. XVI, 387.

εἰ δ' ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βούλεσθε
Il. XI, 319. — — ἐπεὶ νεφεληγερέτα Ζεὺς
Τρωσὶν δὴ βούλεται δοῦναι κράτος, ἠέπερ ἡμῖν.

Hanc scripturam plurimi exhibent codices, iique meliores. Etiam Od. I, 234, quo loco nunc legitur:

νῦν δ' ἑτέρως ἐβάλοντο θεοὶ κακὰ μητιόωντες.

plurimi codices et editiones antiquissimi (Florent. 1488. Ald. 2. 1517. Argent. 1525. Hervag. 1551. etc. vide *Nitzsch.* ad Od. l. c.) ἐβούλοντο et ἐβόλοντο praebent. *Buttmannus* Lexil. I. p. 31. et *Fr. Thiersch.* Gramm. gr. §. 168, 12. lectioni ἐβόλοντο patrocinantur, sicut in prioribus locis metri causa nunc βόλεσθε et βόλεται legitur.

7. Hac *Buttmanni* de vocali ο = ου doctrina nixus, *Frankius* V. D. nuper in censura libri a *Reimnitzio* editi: System

der griech. Declination. Nov. Lipss. annales phil. et paed. 1834. tom. XII, fasc. I. p. 92. nota †) probabiliter de voce ἀρόμεναι *Hes.* Opp. 22. πλούσιον, ὅς σπεύδει μὲν ἀρόμεναι ἠδὲ φυτεύειν exposuit, quam formam neque producta vocali ἀρώμεναι (sic cod. *Paris.*) neque duplicato μ ἀρόμμεναι (sic Göttling. scripsit cum *Ven.* cf. *Buttm.* Gramm. ampl. I. p. 506.) esse scribendam censet, sed potius ex analogia verbi βόλεσθαι accipiendam pro ἀρούμεναι. Hoc ἀρούμεναι subnatum habet ex ἀροέμεναι, quae contractio rectior sane est quam ἀρώμεναι. Forma enim φορήμεναι s. καλήμεναι a φορέω, καλέω, quam *Buttmannus* l. c. cum ἀρώμεναι comparat, alius rationis est, quia contractio verborum in εω alia est atque in όω. Vocalis ω non ex οε nascitur, sed ex οο; contra ου ex οε. Quandoquidem autem exempla alia praeter ἀροέμεναι - ἀρούμεναι non amplius reperiuntur, *Frankius* criticos in forma haesisse et summa fide *APOMENAI* nobis tradidisse haud male censet.

8. Quod attinet ad formam diductam pronominis ὅου pro οὗ (Od. I, 70. Il. II, 325. Hymn. in Apoll. 156.), *Buttmannus* Gramm. ampl. I. p. 306. eam putat ortam ex antiquissima scriptura ΟΟ (i. e. ὅϜο cf. πολέμοϜο, πολέμοιο), quam Grammatici ὅου legendam esse statuerunt. Nec absimile esset exemplum, quo denuo confusio vocalis ο pro ο, ω, ου probari posset. Forma οὗ diducta rectius quoque audiretur ἑοῦ, veluti apud Dores ἑοῦς pro οὗ, sic.

Jamjam finem faciamus disserendi de vocalibus et reliquis literis, quas peculiariter in libro secundo explicabimus. Accingamus nos ad alterum hujus libri caput, quo digammatis doctrina continetur.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIGAMMATE

SIVE

ASPIRATIONE AEOLICA.

---

§. 2.

Brevis historia digammatis.

1. Litera *Vav* ו, graece *Βαῦ*, locum alphabeti sextum obtinuit, et ex figura duplicis gammatis Ϝ nomen *digamma* duxit. Mature tamen, ut jam supra §. 1, 8. dictum est, ex literarum serie evanuerit necesse est, et raro tantum in monu-

mentis et nummis occurrit. In libris manuscriptis haec litera plane neglecta est et critici veteres atque grammatici rariorem ejus mentionem fecerunt, quam exspectandum esset. In Homericis autem et singulis aliorum scriptorum vocabulis digammatis natura et vis hodiedum satis luculenter apparet.

2. Viri docti, qui digamma ὠγύγιον quasi atque domesticum habuerunt, id nominaverunt *Pelasgicum*, ut *Herbart. Marsh* in Horis Pelasgicis, alii imprimis Italici *Etruscum. Priscianus* lib. I, cap. 4. primus digamma cognominavit *Aeolicum*, praeeuntibus tamen quos laudat *Varrone* et *Didymo* Alexandrino. Constat quidem, Aetolos gentis aeolicae crebro digamma habuisse; neque vero minus apud alias Graeci nominis gentes istud reperitur. Prisciano autem nixi, plurimi viri docti digamma cognominare *Aeolicum* consuerunt, quamquam antiquissimus digammatis testis repugnet *Dionysius* Halic. in Archaeol. Rom. lib. I, c. 20. pag. 16., qui omnibus Graecis id commune fuisse tradit. *Σύνηθες ἦν*, ait, *τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν ὥς τὰ πολλὰ προτιθέναι τῶν ὀνομάτων, ὁπόσων αἱ ἀρχαὶ ἀπὸ φωνηέντων ἐγένοντο, τὴν ου συλλαβὴν ἑνὶ στοιχείῳ γεγραμμένην. Τοῦτο, δ' ἦν ὥσπερ γάμμα διτταῖς ταῖς πλαγίαις, ὡς Ϝελένη καὶ Ϝάναξ καὶ Ϝοῖκος καὶ Ϝανὴρ καὶ πολλὰ τοιαῦτα. Heynius* igitur ad Iliad. XIX. Tom. VII, p. 712 sq. in eos, qui digamma aspirationem aeolicam vocant aliaque Homericis inesse Aeolica existimant, haec verba fecit: „Grammatici Aeolum nomini nimium honorem habuere, dum multa in Homero ex dialecto Aeolica dixere, qua enim fide, qua probabilitate poeta Jonicus ab Aeolibus plura mutuasse verendus est? idque nulla de causa, nulla necessitate? Immo vero antiqua illa erant, antiquis poetis etiam Jonibus antiquioribus communia, quae servata sunt diutius ab Aeolibus" etc. Ipse quidem Heynius digamma nominavit *Homericum*, sibi repugnans. Nec tamen absona est haec explicatio, quum in Homericis potissimum digammatis vis et natura cognoscatur.

3. Primus inter viros doctos *Rich. Bentlejus* virtutem digammatis in Carminibus Homeri nobis revocavit. Qui vero vir sagacissimus, Heynio (ad Il. Tom. VII. p. 721.) referente, raro dum vixit hujus observationis mentionem fecit suasque annotationes in exemplo quo utebatur Homeri collegit. *Heynius* editor Homeri Iliadis laboriosissimus, Britannorum doctorum scriptis ad rem novam pervestigandam hoc acrius adductus, quo magis perspectam haberet utilitatem, quae inde versui Homerico hiatibus scatenti subnasceretur, Britannis desiderium aperuit, exemplum Homeri Bentlejanum inspiciendi. Illud exemplum, qui *codex Bentlejanus* vocatur, Gottingam ex Britannia migravit anno MDCCXC.

4. Eodem fere tempore *Dawesius* et *Rich. P. Knightius*

cum pluribus aliis popularibus, ut *Bouhiero*, *Chishullio*, *Tayloro*, *Wisio* digammatis usum diligenter disquirentes magis magisque doctrinam illustrabant; *Dawesius* in miscell. criticis IV. p. 113 sq. *de consonantis sive aspirationis Vav virtute* scripsit et *P. Knight*: *Analytical essay of the greek alphabet*. London 1791. Cfr. *ejusdem Prolegomena ad Homerum* etc. praefatus est Ruhkopf. Lips. 1816. Accedunt nostrae aetatis scripta a Britannis viris doctis edita: Lettre on the original name and pronunciation of the aeolic digamma by the *Bishop of St. Davids* et: history of the aeolic digamma in the *Quarterly Review* tom. XXVII, p. 41. Cfr. *Grenvill Penn*: Classical Journal tom. XXVI, pag. 176.

5. *Heynius* Bentleji auctoritate, qui vocibus Homericis in exemplo suo digamma ex sua sententia appinxerat, aliorumque Britannorum disquisitionibus in re tum temporis satis incerta et ambigua certior factus, primus in Germania doctrinam aspirationis Aeolicae propagavit. Grata diligentia in tomo VII edit. Hom. Iliadis pag. 708—772. de digammatis natura disputavit et vocabulorum, quibus digammatis vestigia inesse putabat, recensum dedit. Quando quidem vir clarissimus fortasse saepius quam decuisset cum bono Homero dormitaverit, nullo tamen modo vituperandus est nobis, rei novitatem et difficultatem considerantibus; optime quidem de literae *Βαῦ* ob oculos non amplius versantis doctrina meruit. Ejus vestigia prementes paulo post multi iique Grammaticorum coryphaei, qui sunt *G. Hermannus* (in Ephem. literr. Lipsiense. anni 1803. mens. Jul.), *A. Boeckhius* (Ueber die Versmaase des Pindar. Berlin 1809. sectio IV; et: de metris Pindaricis cap. XVII. cf. Staatshaush. d. Ath. II. p. 384 sqq.), *Ph. Buttmannus* (in Grammaticis et Lexilogo), *Fr. Thierschius* (in Gramm. Gr. §. 152—163.) et alii aspirationis aeolicae fautores prodierunt et ipsi impugnatores, inter quos *Fr. A. Wolfius* (in censura Hom. Iliad. ed. ab Heynio in Ephem. literr. Jenens. 1803.), *C. D. Ilgenius* (in praef. ad Hymn. Homerr. pag. XVII.), *A. Matthiae* (in editione priori Grammaticae Gr. §. 41.) et alii eo redierunt, ut cautiores certe in contemnenda aspiratione aeolica fierent.

6. Pertinacissimus exstitit impugnator digammatis *Franc. Spitznerus* in libro doctrinae uberrimo: *de versu Graecorum heroico*. Lips. 1816. Cap. IV. Quae tamen sententiarum discrepantia summae utilitati fuit Homericis. Nisi fautoribus digammatis impugnatorum schola obstitisset, erat profecto verendum, ne illi Homeri carmina ita innovassent versuumque digammati repugnantium proscriptione ita vacuefecissent, ut Homerus in Homericis non amplius reperiretur. Nostra aetate res eo pervenisse videtur, ut vix digammatis detrecta-

tor inveniri possit, vix patronus, qui illud omnipotentem Homerici versus medicum praedicet.

§. 3.

De natura et vi digammatis sive Βαῦ.

1. Ex loco *Dionysii* Hal. supra §. 2, 2. laudato cognoscitur, Graecos plurimis vocabulis a vocali incipientibus digamma praefixisse. At non iis solum, quae exordiuntur a vocali, digamma inhaeserat, sed duabus mediae vocis vocalibus etiam intersertum erat, ut ὄϝις lat. *ovis*. Vide §. 10—12. Rarius in fine verborum occurrit, ut βασιλεῦ, βοῦ, γραῦ, quorum υ ortum est ex digammate, ut apparet ex genitivis et dativis βασιλέ-ως, βο-ός, γρα-ός. vide §. 4. pag. 14, a). Literis etiam, quae *liquidae* dicuntur, λ et ρ digamma praefixum fuisse, exemplis probari potest, ut ῥήγνυμι lat. *frango*, *fregi*. Vide *Fr. G. Reimnitz.*; Das System der griech. Declination p. 39 —44. et infra §. 4. pag. 15, b).

2. Quo sono Graeci digamma protulerint, jam e natura consonantis hebraicae ו conjici potest. Sonus fuit *labialis*. Verumenimvero de sono, qui non amplius auditur, nihil fere decerni potest; minime autem in assertis eorum acquiescere vellem, qui nomine *digammatis* inducti, sententiam amplexi sunt, digamma vocibus adhaerens interdum in γ transiisse, ita ut γέθεν ex Alcaeo idem esset quod ϝέθεν, ἕθεν; γέντο i. q. ϝέντο (ἕλετο), γαῖα i. q. αἶα, et quae multa alia enumerat *Hesychius*, ut Γοῖνος, Γοῖδα, Γοίδημι, Γέαρ, Γεστία, Γέλουτρόν (ἔλυτρον) etc. Cf. *Salmas.* ad Inscr. Herod. Att. p. 47. *Thiersch.* Gr. Gr. §. 153. Nonnulli fuerunt, qui errore aliquo in Hesychii Lexico literam Γ natam esse ex F putarent, ita ut Γέαρ esset pro Fέαρ, Γοῖδα pro Fοῖδα etc. *Taylor.* lect. Lysiac. c. IX. Quo de miro errore dubitat *Buttmannus* in Lexil. II. p. 163. rem exemplis aliis iisque recentioribus linguis confirmans, ut apud Gallofrancos *guêpe* lat. *vespa*; *gâter* lat. *vastare*; sic etiam ἡδύς, ϝηδύς, γάδεσθαι lati *gaudere*; glossema γέντερ lat. *venter*. Recte quidem; sed quaeritur, num praefixum γ sive g soli digammati debeatur, an non potius indoli linguae tribuendum sit, et vehementer vereor, ut viri docti γ e digammate ortum esse recte argumententur. Digamma i. e. *Vav labiale* consonanti γ non congruum fuit et vocabula ista: γαῖα αἶα, γέθεν ἕθεν comparanda sunt cum. λείβω εἴβω, τήγανον ἤγανον, μία ἴα, κότταβος ὄτταβος, σῦς ὗς, σάλος ἅλς etc. Litera consonans ad vocis sonum augendum addita videtur. Vide §. 24. de praefixa litera s apud Romanos. Digamma quod dicitur multo liquidius et mollius fuit consonante γ.

3. Digamma uti ו hebraicum litera fuit semivocalis et pa-

-riter atque v latinum tam consonae quam vocalis locum sustinere poterat; et societas, quae inter literas *F*, *V* et *Υ* intercedit, exemplis probari potest, ut *Ὑέλη*, apud seriores Graecos *Ἐλέα*, apud Romanos *Velia*, urbs Lucaniae; deinde *καίω*, *κλαίω*, *futur.* *κάϝσω*, *κλάϝσομαι*, unde *καύσω*, *κλαύσομαι*, et saepissime alias digamma in *υ* mutatum deprehendi potest (plura exempla vide §. 4, 2.), sicut apud Latinos ex *V* fit *U*, ex. c. *faveo*, *favi*, *fautum*; *caveo*, *cautum*; atque ex *U* fit *Υ*, ut *Sulla* et *Sylla*. De sono literae *u* vide *Quintil.* Institt. Oratt. I, 4, 7, qui Romanis nonnullas sibi necessarias literas deesse censet, ut in his *Seruus* et *Uulgus* Aeolicum digamma desideratur, et medius est quidam *U* et *I* literae sonus. Secundum quam regulam proprie scribendum esset SERFUS. FULGUS. Et Romanorum primus, qui digammatis mentionem fecit, *Cicero* in Epist. ad Att. IX, 9. hanc literam aspirationis aeolicae cum Latino *F* componit. Temporibus quoque imperatorum vocabulum DIVUS a *δῖος*, *δῖϝος* (vide §. 4. pag. 16.) in inscriptionibus DIFVS exaratum occurrit.

4. Inde apparet, Graecos in modum soni *V* sive *ου*, ut Dionysius Hal. l. c. docuit, digamma ita pronuntiasse, ut aeque in partem consonae atque vocalis inclinaret; nunquam autem in modum consonae *γ* gutturalis, quae versui epico sexcenties repugnaret. Sicuti Romani eandem formam modo *solvit* bisyllabam, modo *solŭit* trisyllabam proferebant versus metro id sibi postulante; ita apud Graecos digamma modo locum consonantis, modo vocalis sustinuit. *Dionysius* Hal. nomen urbis *Velia* narrat pronuntiatum esse *Οὐελία κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον*, quae pronuntiatio respondet literae anglicae *w* in vocabulis *water*, *week*, dic: *ᵘater*, *ᵘihk*.

5. Quae si recte exposita sunt, doctrina digammatis optime quadrat ad versus Homericos, quibus ob vitia metrica, quae inhaerere viderentur, proscriptio intendebatur, tuendos.

1) Digamma *consonantis* munere fungens vocalis antecedentis hiatum mollit, ut *σῷ ἐνὶ ουοίκῳ*, et diphthongum praecedentem non corripit, ut *στίλβων καὶ ουείμασι*, et syllabam brevem in consonam exeuntem producit, ut *εἶπες ουέπος*.

2) Digamma *vocalis* locum suscipiens elisionem antecedentis vocalis admittit, ut *εὖ δ' ουοἶκαδ' ἱκέσθαι*, diphthongum praecedentem corripit: *ἔελδεται ουοἶκαδ' ἱκέσθαι*, et syllabam brevem in consonam exeuntem non producit, ut *ὑπότροπον ουοἶκαδ' ἱκέσθαι*.

6. Digammatis vestigia in vocabulorum compositione, nominum declinatione et verborum conjugatione facile perci-

piuntur. Vocabula, quibus digamma adhaeret, in *commissura* cum aliis vocabulis et elisionem et contractionem spernunt. Cf. ἀαγής, ἀελπής, ἀεργός, ἀμαρτοεπής, ἀπόειπε, ἑκάεργος, ἐπιάνδανε, ἐπιειμένος, θεοειδής etc. pro ἀναγής, ἀνελπής, ἀνεργός, ἀμαρτουπής, ἄπειπε, ἐφάνδανε, ἐφείμενος. *Nomina*, cui digamma inhaeret, a vulgari declinandi ratione deflectunt, dum contractionem vocalium spernunt, ut ὄϊες pro οἶες (*oves*), aut vocalium mutationem efficiunt, ut βασιλεύς, βασιλῆος (pro βασιλέως) ex βασιλέϝος; digammate in ε mutato et cum antecedente contracto βασιλέεος — λῆος. Vide §. 4. *Verba*, quibus digamma praefixum est, pariter atque cetera a consonis literis incipientia, augmentum quod dicitur *syllabicum* accipiunt, ut ἄγνυμι, aor. ἐάγην i. e. ἐϝάγην; ἁλῆναι ἑάλων; ἁνδάνω ἕαδον, εὔαδον; ἔλπω ἔολπα etc. Vide §. 4. Item verba, quae augmentum ει admittunt, vestigia digammatis prae se ferunt, ut ἐργάζομαι εἰργαζόμην i. e. ἐϝεργαζόμην, unde factum εἰργ. Vide §. 4. pag. 15, a).

7. Quum jam Homeri temporibus digammatis vis hebetata esset, inconstantiam ejus hic illic animadvertimus. Pauca exempla sufficiant.

ἀκτή (*ripa*) apud Homerum digamma non habet, contra radix ἄγνυμι (*frango*). Vide §. 6. sub voce ἄγνυμι.

ἀνήρ (*vir*), ut *Dionys.* Hal. Archaeol. lib. I. cap. 20. Tom. I. p. 16. ed. Reiske tradit, digamma prae se tulerat, cujus vestigium nusquam in Homericis obvium est. Vide locum supra §. 2, 2. exscriptum.

ἀργός ex ἀεργός, ἀϝεργός contractum? Vide de hoc vocabulo §. 7. s. v. ἔργω in annotat.

ἅπτομαι (*tango*), ἄρδω (*irrigo*) } sine digammate apud Homerum; in commissura tamen digammatis vestigia apparent, ut νεοαρδής, ἄαπτος.

ἆτος ex ἄατος (*insatiabilis*) et in Homericis et Hesiodeis contractum occurrit. Cf. *Buttm.* Lexil. I. pag. 229 sqq.

εἶπον, unde ἀπόειπών saepius, at contra digamma ἀπειπόντες. Vide §. 7. sub voce εἶπον.

Ἑλένη vitat hiatum in Homericis, *Dionys.* Hal. autem et *Servius* ad Virgil. p. 512. Latinos veteres Ἑλένην nominasse *Belenam* docent. Adde *Quintil.* institt. oratt. I, 4, 15. „Sed *B* quoque in locum aliarum (literarum) dedimus aliquando, ut *Burrus*, *Bruges* et *Belena*."

ἑλεῖν (*capere*) respuit vocalium concursum (cf. §. 7. s. v.); ejusdem vero radicis vocabula ἕλωρ, ἑλώριον hiatum admittunt. Il. I, 4. V, 684. XVII, 667 et alibi.

ἕλος, ϝέλος, *palus* apud Homerum digammate privata est; at cf. *Dionys.* Hal. I, 20. ϝέλος unde Οὐελία, de cujus digammate supra (3 et 4.) diximus.

ἴς, ἶφι (*vis, vi*) hiatum saepissime efficiunt, quem respuit ἴφθιμος.

ὅρκος (*jusjurandum*) digammatis expers est, quod elucet in composito ἐπίορκος.

ὕδωρ (*aqua*) sine digammate apud Homerum; sine dubio eadem vox, quae *water*, *Wasser*.

8. Haec sufficiant exempla, quae augeri possent, quibus digammatis inconstantiam comprobare licet. Sin autem in memoriam revocamus, ipsa vocabula, quorum digamma luce clarius oculis patet, in versibus Homericis, modo quasi a vocali inciperent modo a consonante, usurpata esse, vix nobis licet de digammatis inconstantia loqui, quae nulla alia est, nisi duplex digammatis natura.

§. 4.

De transmutatione, cui digamma obnoxium fuerit.

1. Jam e versu Homerico (§. 3, 5. pag. 9.), verborum augmento et vocabulorum compositione (§. 3, 6. pag. 10.) digammatis vim et auctoritatem apparere vidimus; sed multa quoque alia eaque multo graviora exstant ejus testimonia. Digamma enim quum e sermone Graecorum evanescere coepisset, in multis vocabulis majoris momenti fuerit necesse est, quam ut prorsus praetermitti aut ejici potuisset. Temporibus igitur, quibus ars scribendi usitatior facta erat, sonus digammatis literis *labialibus* quae dicuntur,

modo β, π, φ
modo υ et ου (cf. Ὑέλεα, Οὐελία)

apud Latinos literis

modo *b*, *f*, *ph*
modo *u* et *v*

pro majore minore vi, qua in ore Graecorum regnaverit, a scriptoribus exprimebatur. — Ad quaestionem transmutationis literae *Βαῦ* recte instituendam, iterum animum ad id advertimus, ut digammatis natura duplex fuerit idque pari modo *consonantis* vicem susceperit atque *vocalis*. (cf. pag. 9.). Exordium faciamus a Digammate consono.

I. *De digammate consono.*

2. Digamma sive Vau, *Βαῦ*, ו hebraicum, litera fuit *labialis* et cum insequente vocali conjunctum est, ut ἀ-Ϝεργός, ἐς-Ϝιδών; cf. hebr. יְהֹוָה *Jeho|va*, וַיְהִי *vajehi*, et ו duplicatum חַוָּה *Chav|vah* ut καυάξεις ex καϜϜάξαις. vide §. 6. s. v. ἄγνυμι. Siculi omnes literae labiales β, π, φ inter se arctissime sunt cognatae ideoque altera cum altera legibus euphoniae commutari potest, cfr. τέτριμμαι (-βμαι), τέτριψαι (-βσαι), τέ-

τρίπται (-βται), τέτριφθον (-βθον), ita *Bαῦ* cum alia labiali β, π, φ *lat.* b, f, v, commutare licet; neque exempla desunt.

1) *Digamma mutatur in* β, *lat. b.*

βῆν, βῆς, βῇ laconice pro ἦν, ϝῆν, φῆν. vide infra 3) s. v. ἦν.

Βέλεα apud seriores Graecos pro Ἔλεα, ϝέλεα urbs *Velia.* vide infra 4).

Belena apud antiquiores Romanos pro Helena, Ἑλένη, ϝελένη. Vide supra §. 3, 7. s. v. Ἑλένη.

Βῖρις apud Lacedaemonios (*Pausan.* Lacon. cap. XIX.) pro ϝῖρις, Ἶρις, dea et nuntia Deorum.

βίτυς apud *Aeoles* (*Terentian.* p. 2397.) pro ϝίτυς, ἴτυς (*rotae ambitus*).

βείκατι, βράκος, βρόδον, βρυτήρ etc. apud *Dores* pro εἴκοσι, ῥάκος, ῥόδον, ῥυτήρ etc. De digammate ante liquidam ρ vide infra p. 15, b).

ἠέλιος (*sol*) et φάος (*lux*) *Pamphylius* (vide infra §. 11.) βαβέλιος et φάβος scripsit, et vox καλαῦροψ (*pedum*) Il. XXIII, 845. *Apoll.* Rh. IV, 974. in codicibus et apud Scholiastas ll. cc. vulgo scribitur καλάβροψ, et dubitari potest, utrum καλαῦροψ an καλάβροψ praeferendum sit. At vide interpretes ad *Hesych.* s. v. et *Lennep.* ad *Coluth.* p. 69. καλαῦροψ est κᾶλον αὖ ῥέπον. Cfr. apud Latinos *fervo*, fer*vi* et fer*bui*. Sic λαυρότατος et λαβρότατος, quae voces significatione non discrepant. Vide *Eustath.* p. 1065, 63 sqq., qui λαυρότατον tanquam variam lectionem pro vulgari λαβρότατον, Il. XVI, 385. profert.

2) *Digamma mutatur in* π *lat. p.*

ἔπιαχε (*clamavit*), Il. V, 860., i. e. ἔϝιαχε ab ἰάχω, ϝιάχω. cf. §. 8. s. v.

ἐπηετανός (*annuus*), Od. VII, 118. pro ἐϝετήσιος? vide §. 7. s. v. ἔτος.

λᾶας, λάϝας, lat. *lapis.*

3) *Digamma mutatur in* φ.

ἁνδάνω (*placeo*) i. e. ϝανδάνω, cum α privat. ἀϝανδάνω, unde ἀφανδάνω. Od. XVI, 327; non ab ἀφ-ανδάνω.

ἀμφίαχε (*clamavit*), Il. II, 316. i. e. ἀνϝίαχε ab ἀνὰ ἰάχω. Cf. supra 2) ἔπιαχε.

ἐφευρίσκω, ut *Thiersch.* in Gramm. Gr. §. 166, 3. docuit, pro ἐϝευρίσκω, non ἐφ-ευρίσκω, quia hujus compositi verbi notio ad Homeri locos non quadrat.

ἦν, ἧς, ᾗ, i. e. ϝῆν, ϝῆς, ϝῇ, unde φῆν, φῆς, φῇ, laconice βῆν, βῆς, βῇ. cf. βάζω, βαβάζω, βάσκω (*garrio, fabulor*), lat. *for*, *fatus*, *fari.*

ὀλοός, ὀλοϝός (*perniciosus*); unde (ὀλοϝώϊος) ὀλοφώϊος,

apud *Homer.* Od. IV, 410. 460. X, 289. XVII, 248; *Apoll.* Rh. I, 476. IV, 476; apud *Nicandrum* etc. Cf. *Thiersch.* Gr. gr. §. 166 fine.

Annot. De syllaba -φι (ex. c. εὐνῆφι), quam *Heynius* ad Il. XIX. Tom. VII, p. 770 subnatam esse ex Ϝι haud male argumentatus est, alio loco *de casu locali* copiosius disseremus.

4) *Digammatis loco v substituerunt Romani.*

αἰών, αἰϜών, lat. *aevum.*
Ἔλεα, lat. *Velia.* Vide supra 1) Βέλεα et §. 3, 3.
βοῦς, βοϜός, βοϜί, lat. *bos, bovis, bovi.*
ἔαρ, ἦρ, Ϝέαρ, Ϝῆρ, lat. *ver.*
ἔσθος, lat. *vestis.*
Ἑστία, lat. *Vesta.*
κληΐς, lat. *clavis.*
ναῦς epice νηῦς, νηϜς, lat. *navis.*
ὄϊς, ὄϜις, lat. *ovis.*
οἶκος, Ϝοῖκος, lat. *vicus.*
οἶνος, Ϝοῖνος, lat. *vinum.*
σκαιός, σκαιϜός, lat. *scaevus.*
ὕλη, ὕλϜη, lat. *sylva.*

3. De praefixa lit. s vide §. 24. Multa enim exstant vocabula Graeca, a vocali incipientia, quae apud Latinos ab s exordiuntur, ut ἕξ-sex, ἑπτά-septem etc. Mihi persuadere non possum, illam literam esse obsoleti digammatis vestigium. Vocum enim, quas Romani sibilo pronuntiant, minimus numerus digamma habuerit, ut ἱδρώς ab ὕδωρ-*sudor*, ἡδύς indice *suadas* lat. *suavis.* Omnino qui aliam literam digammati substitui jubent atque labialem, in maximos errores se induci patiuntur. Sic etiam nonnulli formam ἔννεπε dictam volunt pro ἔνϜεπε, ἔδδεισαν, ἀδδηκότες, ἄδδην etc. pro ἔδϜεισαν, ἀδϜηκότες, ἄδϜην, quibus in formis assimilatione digamma mutatum esset in ν et δ. At res aliter se habet. Assimilatio enim, quae dicitur, praecedentem quidem literam similem reddit insequenti, tamen non vice versa. De duplicandis literis liquidis et media δ in libro tertio dicemus.

II. *De digammate vocali.*

4. Digamma, quod *vocale* fuit, cum vocali antecedente in diphthongum coaluit, ut αὐερύσας pro ἀϜερύσας, πολέμοιο pro πολέμοϜο, βασιλῆϊ pro βασιλέϜι etc. Cf. ו hebr. in vocibus בּוּן *būn*, נָבוֹן *nabōn*, בִּין *bīn*, בֵּין *bēn*; lat. *fa|veo, fau-tum*; *caveo*, *cau-tum* etc. Sicuti vocalium commutatio in lingua latina, graeca et qualicunque alia locum habet, ut σπείρω, σπερῶ, ἔσπαρον, ἔσπορα, lat. *lego, colligo*; *tango, tetigi* etc., ita vocali Βαῦ similis mutatio concedenda est. Et exstat quidem.

1) *Digamma vocale quam maxime propinquum est vocali v lat. u.* Exempla rem docent. Ante omnia compares linguam hebraicam, ut מות *mūth* (*mori*), unde מָוֶת *ma-veth* (*mors*).

a) Nomina, quae in ευς exeunt, ut βασιλεύς, Ἀτρεύς, proprie audienda sunt βάσιλεϝς, Ἀτρέϝς. Sic etiam βοῦς, γραῦς et ναῦς orta sunt ex βόϝς, γράϝς, νάϝς, genit. βοϝός, βοϝί ut *bovis, bovi;* accus. βόϝν, γράϝν, νάϝν aliter pronuntiari nequeunt atque βοῦν, γραῦν, ναῦν. Inde declaratur accus. Ζεῦν a Ζεύς, quo usus est *Polycrates*. Cf. *Göttling.* ad *Hes.* Theog. 884. In fine verborum, ut in vocativo βασιλεῦ, Ἀτρεῦ, βοῦ, γραῦ pro βασιλεϝ etc. digamma semper committitur cum antecedente vocali. *Reimnitzio* igitur (System der griech. Declin. pag. 44.) qui βοῦ, γραῦ, βασιλεῦ legi jubet *bow, graw, basilew* assentiri nolim, propterea quod jam accentus circumflexus sibi diphthongi sonum postulat. Simulatque digamma in fine vocis positum est, nunquam consonantis vice fungitur; sin sequitur vocalis litera, cum ea conjungi potest, quod vero ut fiat non opus est. Cf. γράϝ-γραῦ nos *Frau*; γρᾶ-ϝες, nos *Fra-wen*, unde γραῦς *Frauen.* Quod antiquitus scribitur *Fraw*, aliter proferri nequit nisi *Frau*, nullo modo *Fraf* aut *Frab*.

b) Plura verba in άω et έω, quorum terminatio futuri in αύσω et εύσω exit, diphthongum αυ et ευ digammati debent. Exempla §. 12. allata sufficiant.

c) Ex digammate subnatum est αυ et ευ in formis, quae sequuntur:

αὔϊαχος (*sine clamore*), i. e. ἄϝιαχος. cf. §. 8. s. v. ἰάχω et *Passov.* in lexic. s. v. cui adstipulatur *Spitznerus* ad Il. XIII, 41. *Quintus* Sm., cui digamma obsoletum et ignotum fuit, in Posthomm. XIII, 70. Achivos ἀνιάχους moenia subisse tradit, nisi forte αὐΐαχος restituendum est. Veterum grammaticorum nonnulli αὐΐαχος aspiratione instruxerunt. cf. §. 17. s. v.

αὐέρυσαν (*retro traxerunt*), i. e. ἀνϝέρυσαν, ν assimilato literae Βαῦ, ἀϝϝέρυσαν, quod serius in formam αὐέρυσαν transiit. *Fr. Thiersch.* Gr. Gr. §. 161, 6. formae originem duxit ex ἐρύω et α intensivo, quod minus placet. Apud serioris aetatis Graecos verbum ἀνερύω saepius occurrit et ἀν syllaba ex praepositione ἀνά per apocopen decurtata est. Confer vocabulum, quod sequitur

καυάξεις, i. e. καϝϝάξεις pro κατϝάξεις. Vide §. 6. s. v. ἄγνυμι.

εὔαδον (*placui*), i. e. ἔϝαδον ab ἁνδάνω, quod vide §. 6. s. v.

εὔκηλος (*quietus*) pro ἑϝέκηλος, ἔϝκηλος. Vide *Buttm.* Lexil. I. p. 145 sq. Fortasse haec ratio vocem εὔκηλος ex-

plicandi ineunda est: ἐϝέκηλος, εὐέκηλος, εὔκηλος. Cf. infra ἔϝεχον, εἴεχον, εἶχον.

2) *Digamma vocale, quod cognatum novimus vocali v, simile quoque fuit vocali i.* Cum digammatis et jotae confinio cfr. hebraicum ו et י, ut גול *gūl* et גיל *gīl* (*laetari*), יין (יָיִן) *vinum*, german. (*Win*) *Wein*, graece ϝῖνος ϝοῖνος οἶνος.

a) Verba ab ε incipientia et augmentum ει praefigentia hanc diphthongum debent digammati, ut

ἔχω, ϝέχω (cf. §. 7. s. v.) imperf. ἔϝεχον, εἴεχον, εἶχον
ἕλκω, ϝέλκω — ἔϝελκον, εἴελκον, εἶλκον
ἔθω, ϝέθω perf. ἔϝοθα, εἴοθα producta vocali ο εἴωθα.

Verba ejusmodi sunt ἐάω (*sino*), ἕζω, εἶσα (*sedeo*), ἔθω, ἐθίζω (*consuefacio*), ἕλω, εἶλον (*cepi*), ἑλίσσω (*volvo*), ἕλκω, ἑλκύω (*traho*), ἕπω, εἶπον (*dixi*), ἕπω, ἕπομαι (*sequor*), ἐργάζομαι (*facio*), ἐρέω (*dico, interrogo*), ἕρπω, ἑρπύζω (*serpo*), ἐρύω (*traho*), ἐρωτάω (*interrogo*). — Non ignoro quidem grammaticorum praeceptum, ex quo formae εἶχον, εἵλκυον, εἰργαζόμην etc. ortae dicuntur ex ἔεχον, ἔελκον, ἐεργαζόμην. At quaeritur, cur Graeci non dixerint εἰράσθην, εἵλυθον, εἶλθον pro ἠράσθην, ἤλυθον, ἦλθον? Sine dubio causa suberat, quae diphthongum ει genuit, nec melior inveniri potest, quam digammatis virtus; quae quum seriore tempore aboleret, Graeci singulas formas effinxerunt, quasi digamma non affuisset, et verborum ἐθίζω et ἐργάζομαι augmenti in η exempla collegit *Schaefer.* in Apparat. ad Demosth. tom. IV. p. 426. et tom. V. p. 553.

b) Nonnulla alia verba a consonante incipientia inveniuntur, quae augmentum ει non spernunt, ut

εἴληφα a *ΛΗΒΩ*, λαμβάνω (*sumo*)
εἴληχα a *ΛΗΧΩ*, λαγχάνω (*consequor*)
εἴλοχα, εἴλεγμαι a λέγω (*dico*)
εἵμαρται, εἱμαρμένος a μείρομαι (*mihi contingit*)
εἴρηκα a *ΡΕΩ* (*dixi*).

Rem consideranti statim perspicuum fit, illorum verborum primam literam esse liquidam λ sive μ, quae utraque tam fluida est, ut sine difficultate pronuntiandi aspirationem aeolicam prae se ferre possit. Verba illa sonasse ϝλήβω, ϝλήχω, ϝλέγω etc. mihi persuasum habeo; unde Perfectum ἔϝληφα, ἔϝληχα, ἔϝλοχα etc. digammate mutato in ι, εἴληφα, εἴληχα, εἴλοχα etc. Cujus rei veritatem probare possunt haec pauca, quae augeri possent, exempla: λαμπάς, ϝλαμπάς, lat. *flamma*; ῥήγνυμι, ϝρήγνυμι, *frango, fregi*; βρέμω, quod descendit a *ΡΕΩ*, lat. *fremo*; illud μ in βρέμω (ϝρέω) interpositum est, ut murmurandi sonum imitaretur. Cf. supra pag. 12. s. v. βείκατο doricas formas βρακός, βρόδον, βροτήρ.

c) Multae voces ante liquidas literas λ, ν, ϱ digamma habuisse videntur, ut

μέλας (*niger*), μέϝλας, μεῖλας, dativ. μείλανι.
ἔνατος (*nonus*), ἔϝνατος, εἴνατος.
ἕνεκα (*causā*), ἕϝνεκα, εἵνεκα.
ἔϱος (*lana*), ἔϝϱος, εἶϱος.

Videntur quidem, tamen vix rem ita se habere verisimile est. Productio vocalis ε in ει isto modo se habere rectius videtur, quo apud nos se habet *kleen* et *klein*, *Steen* et *Stein*.

d) Genitivorum formae ειο, οιο, οιϊν ortae sunt ex εϝο, οϝο et οϝιν., ut

ἐγώ, genit. ἐμέϝο, ἐμεῖο.
πόλεμος — πολέμοϝο, πολέμοιο.
dual. — πολέμοϝιν, πολέμοιϊν.

Attici, qui digamma non amplius habebant, εο et οο in ου contraxerunt, unde ἐμέο - ἐμοῦ, πολέμοο - πολέμου, πολέμοϊν - πολέμοιν.

e) Multae voces, quae inter duas vocales deinceps sequentes digamma habent, hoc in ι mutare possunt, ut:

αϝ = αι in ἀεί (*semper*) ἀϝεί, αἰεί
ἀετός (*aquila*), ἀϝετός, αἰετός

et nomina in αιος, ut ἀϱχαῖος, παλαιός, Ἀλκαῖος in dialecto aeolica proferebantur ἀϱχᾶϝος, παλᾶϝός (apud Neo-Graecos παλαβός s. παλανός) et Ἀλκᾶϝος. Sic ναός (*templum*) ναϝός cognatum est cum (νάϝω) ναίω, νάσσω, unde ἐνναιέτης, ἐνναέτης (*incola*). Cf. Schol. ad *Apoll.* Rh. II, 1085. ἐ ν ν α έ τ η ς· κατ' ἐξαίϱεσιν τοῦ ῑ, ἵν' ᾖ ἐνναιέται. Κλεινίας δέ φησι καὶ τὸν ν α ό ν ποτε οὕτως εἰϱῆσθαι ἔν-ναιον, διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τοὺς θεούς.

εϝ = ει in φϱέαϱ (*puteus*), φϱέϝαϱ, φϱεῖαϱ
χϱύσεος (*aureus*), χϱύσεϝος, χϱύσειος
ἐαϱινός (*vernus*), ἐϝαϱινός, εἰαϱινός

οϝ = οι in πνοή (*flatus*), πνοϝή, πνοιή
χϱοή (*cutis*), χϱοϝή, χϱοιή.

Plura exempla hujus vocalium in diphthongos productionis in libro secundo proferemus. Addimus nunc vocabulum δῖος, lat. *divus* a Διϝός, i. e. genit. a Δίϝς, ϝ mutato in ι Δΐϊς, contract. Δίς, et dativ. Δίϝι, Διί, apud *Pindarum* Δί, cujus vocalis longa recte acuitur (cf. λίς §. 29), falso πεϱισπᾶται. Ex Διϝός adjectivum mutato accentu δίϝος factum est, ϝ mutato in ι δίϊος et forma contracta δῖος. De diverso accentu ejusdem vocabuli pro varia ejus facultate cf. *Reiz.* de accent. inclinat. p. 116. cf. Δόλιχος et δολιχός, Ἀχαιός et ἄχαιος, Ἀϱγέστης et ἀϱγεστής. infra §. 16. s. vv.

3) *Digamma vocale mutatur in* ε. Necessitas, quae intercedit ε inter et ι, probatur contractione vocalium εε in ει, ut φίλεε - φίλει; eadem intercedit inter digamma et ε, et pari modo, quo η nascitur ex εε, ut τείχεε - τείχη, ex εϝ oritur η.

a) Nominativi forma in εύς, i. e. έϝς (cf. supra p. 14.) in genitivo proprie esset - έϝος, ex εϝ autem, i. q. εε fit η, et habes Homericum genitivum in -ῆος, ut

βασιλέϝος, βασιλέεος, βασιλῆος
Ἀτρέϝος, Ἀτρέεος, Ἀτρῆος.

Ex Ἀτρέϝος, digammate exciso, fit Ἀτρέος, nec deest Il. XVII, 89. ita Πηλέος a Πηλεύς Il. I, 489. Plura de hac re in capite de declinatione tertia.

b) Vocabulum ἑώς (*aurora*), antiquitus ἑϝώς, unde Ἠώς. De mutato spiritu vide §. 23.

§. 5.

Recensus vocum Homericarum, quae digammatis vestigia servare videntur.

Cfr. *C. G. Heyne*: ad Il. XIX. tom. VII. p. 726—772. — *Franc. Spitzner*: de versu heroico cap. IV. §. 2—9. — *Fr. Thiersch*. Grammat. Gr. §. 154—158.

In re satis ambigua difficillimum est veritatem attingere; nihilo tamen secius Grammaticorum esse debet, quibuscunque possit viribus veri similiora loco falsorum restituere. Quo enim ex tempore *Heynius* V. Cl. catalogum vocabulorum digammate instructorum dederat, numerus harum vocum virorum doctorum assiduo Homericorum studio mutatus nec non imminutus est. Et recte quidem. Contendere nolim, rationem istarum vocum numerum imminuendi satis probabilibus argumentis semper fulcitam esse; — fortasse multa e catalogo proscripta sunt vocabula, quae nihilo minus digammate instructa erant — sed illius adminiculi proscriptio sine mora probanda videtur, si digammatis vis et auctoritas occulta atque incerta sit; utique si alia ratione eaque graviore digamma compensari potest.

Catalogus, qui sequitur, vocabula continet, quae, locorum quibus reperiuntur ratione diligenter habita, digamma sibi praefixum habuisse putamus.

§. 6.

L i t e r a A.

ἄγνυμι (*frango*), ἔϝαγα, ἐϝάγην, ἔϝαξα, κανάξεις, *Hes.* Opp. 666. 693. diphth. αυ profecta est a duplici digammate καϝϝάξεις pro κατϝάξεις. cf. κάββαλεν pro κάτβα-

λεν. — Compos. ἀϝαγής. Locos digammati repugnantes collegit *Spitzner*. in libro §. 5. laudato p. 113.

αἴνυμαι, compos. ἀποϝαίνυμαι (*tollo*), Il. XIII, 362.

ἀλῆναι (*recedere*), ἐϝάλην. *Buttmannus* in Lexil. I. p. 141 sqq. radicem hujus verbi putat ἑλεῖν; *Heynius* ad Il. XXI, 536. tom. VIII. p. 213. (cf. tom. VII, p. 733) cum Schol. *Venet.* ἄληται derivat ab ἅλλομαι (*salio*) Displicet *Spitzn.* l. c. p. 113.

ἅλις (*satis*). Repugnat unicus locus Il XVII, 54. ὅθ' ἅλις, ubi *Heynius* tom. VII. p. 301. quem *Thierschius* Gr. §. 157, 6. secutus est cum *Zenodoto* et *Bentlejo* legit ὃ ἅλις (scil. ἔρνος), *quae planta*; et XXI, 236. 344. κατ' αὐτὸν ἅλις ἔσαν, quo loco Heynius ἔσαν ϝάλις transponit. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 114.

ἁλῶναι (*capi*), ἐϝάλων, ἐϝάλωκα.

ἀνάσσω, ἄναξ et composita. Locos contrarios collegit et de sua sententia correxit *Dawes* in miscell. critt. p. 144 sq. Praeter illum *Spitzn.* l. c. pag. 114 sq. et de forma ἤνασσε conf. *Heynium* tom. VII. p. 755., qui vult ἐϝάνασσε sic ut ἐϝάνδανε pro ἥνδανε. Vide ἁνδάνω.

ἁνδάνω (*placeo*), ἔϝαδον, unde εὔαδε Il. XIV, 340. XVII, 648., ἐϝαδότα. Ἀφανδάνω (*displiceo*), Od. XVII, 387. non ex ἀφ-ανδάνω ortum est, sed ἀϝανδάνω. cf. supra pag. 14. Compos. ἐπιϝανδάνω. De imperfecto ἥνδανε cf. Heynium ad Il. tom. VII. p. 755. *Spitzn.* l. c. p. 115. Cum radice ἅδω cohaeret ἡδύς, ἥδομαι, nec dubitari potest, quin his vocibus idem digamma inhaeserit, quod probant ἀηδής, ἀηδία, ἀηδέω-ίζω. Cf. *Heyn.* ad Il. V, 203. Excurs. I. Contra eum *Spitzn.* l. c. p. 128., cui accedo dicenti, locos Odysseae vix argumento esse posse voci ϝηδύς. In Odyssea in versus exitu saepius occurrit μέθυ ἡδύ. Μέθυ elisione caret ideoque hiatum admittit; et Il. XI, 378. XXI, 508. in fine quarti pedis hiatum invenis, quo loco bene conceditur.

ἅπτομαι (*tango*), ἐϝάφθη, Il. XIII, 543. compos. ἄϝαπτος. Bene gnarus sum *Buttmanni* in Lexilog. II. p. 138 sqq. sententiae, ex qua ἐάφθη derivatur ab ἕπομαι. Sed dubito de ejus veritate.

ἀραιός (*rarus*, *tenuis*). Repugnant ob ν paragogicum Il. II, 161. Od. X, 90.

ἄρδω (*irrigo*), νεοαρδής, Il. XXI, 346. Ab hac stirpe descendit *ΕΡΔΩ* in compos. ἀποέρσαι, Il. VI, 348. XXI, 283. 329. et substantt. ἕρση, ἐέρση. Cf. *Buttm.* in Lexil. II. p. 169 sqq.

ἄριστον — **ἄρνες** — **ἄστυ** *) e catalogo removenda sunt.

αὖλαξ (*sulcus*) vide ὦλξ §. 9.

*) ἄριστον (*prandium*) duobus modo in locis Il. XXIV., 124. Od. XVI, 2. reperitur, quibus *Clarkius* lectionem ἐντύνοντ' ἄριστον

§. 7.

Litera E.

ἕ (*se*) accus. Vide οὗ.

ἑανός (*peplum*) *). De hac voce dubitari potest.

ἔαρ, εἶαρ (*ver*), εἰαρινός. Verba saepius recurrentia ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ per synizesin proferenda, nec cum *Heynio* Obss. ad Il. II, 471. ὥρῃ ϝειαρινῇ corrigenda sunt.

ἕδνα, ἔϝεδνα (*sponsalia, nuptiarum pignora*), unde ϝεδνόω (*dotare*), ἐϝεδνωτή (*sponsa*).

ἔθειραι **).

ἔθνος (*populus*), sine controversia apud Homerum digamma habet.

εἶδον (*vidi*), εἰδέω, εἶδος, εἴδομαι, εἴδωλον; ἴδον, ἰδόμην; οἶδα, ᾔδειν; ἴσημι, ἴσᾱσι, ἴστωρ, ἄϊστος et cetera vocabula stirpis *IΔ* et *EIΔ*. Digammatis vestigia abunde exemplis probari possunt, et argumento esse poterit latinum *video*, germ. *wissen*. Praeterea animadvertas augmentum syllabicum in ἐϝείσατο, elisionem omissam in διαϝείσεται, ἠεροϝειδής, θεοϝειδής, ἀλλοειδέα, Od. XIII, 194. Multa digammati repugnantia exempla collegit *Spitzn.* l. c. p. 117. de formis ἴδον, ἰδέσθαι p. 130; de formis ἴδμεν, ἴδρις, ἴσημι etc. p. 131; de forma οἶδα p. 134. ᾔδειν p. 128.

εἴκοσι, ἐϝείκοσι (*viginti*), cf. aeolicum βείκατι et *Boeckh*: Staatsh. d. Ath. II. p. 392., non ϝεϝείκοσι; nam in locis, qui reperiuntur Od. XIII, 78. χεῖρές τε ἐείκοσι. XVII, 327. Ὀδυσῆα ἐεικοστῷ hiatus caesurâ in tertio pede excusantur. — Cf. *Spitzn.* l. c. p. 118.

εἴκω, ἔϝοικα, ἐϝίσκω, εἴκελος, ἴκελος; non ϝέϝοικα, ϝεϝίσκω. Duplex digamma, quo non opus est, defendit *Butt-*

(– – ⏑) proposuit. Cf. *Heyn.* ad Il. XXIV, 124. tom. VIII. p. 616. At tamen neque mutatione opus est, neque digammatis adminiculo. Saepius in quinto pede hiatus occurrit (exempla dedit Spitzn. l. c. p. 146 sq.) et versus sede excusatur, in qua ob angustias syllabarum poeta in verborum delectu premitur. Eidem causae vocalium concursus tribuendus est, quem

ἄρνες (*agni*), Il. IV, 158. 435. VIII, 131. in fine versus efficit. In alia regione nullus cum voce ἄρνες reperitur hiatus.

ἄστυ (*oppidum*), cum praepositionibus περὶ ἄστυ, προτὶ ἄστυ. Sed περὶ et προτὶ elisionem vocalis spernunt, sicuti saepius apud Homerum etiam κατὰ et διὰ ante insequentem vocalem non eliduntur. Recte igitur *Spitznerus* l. c. p. 115 sq. de digammate hujus vocis dubitavit.

*) ἑανός (*peplum*), interdum syllabam brevem ante se collocatam producit; id tamen non argumento esse potest digammatis.

**) ἔθειραι (*jubae*), hiatum admisit Il. XVI, 795. Hymn. in Ven. 229. in quinto pede. cf. p. 18. nota *). Nulla igitur necessitate coactus *Heynius* versui Il. XIX, 382. (tom. VII, p. 689.) περισσείοντο δ' ἔθειραι fidem detraxit.

mannus in Lexil. II. p. 82 sqq. de verbo ἐΐσκειν et ἴσκειν disserens. Loci Il. I, 47. 104. II, 58. III, 158. 170. 197. V, 604. XVI, 90. Od. IV, 27 et alibi excusantur regione, qua hiatus deprehenditur. Digammati contrarios locos enumerat *Spitzn.* l. c. p. 118.

εἴλας, εἰλέω, εἰλύω vide ἕλω.

εἷμα v. ἕννυμι.

εἶπον (*loquutus sum*), ἔϝειπον, ἔϝειπα, ϝέπος; compos. ἀπόειπον, ἁμαρτοεπής, ἀμετροεπής. Loci repugnantes apud *Spitzn.* l. c. p. 124 sq. Singularis est elisio in ἀπειπέμεν pro ἀποειπέμεν. Od. I, 91. πᾶσιν μνηστήρεσσιν ἀπειπέμεν. *Buttmann.* in Lexil. I. p. 287. nota 15) proposuit πᾶσι μνηστήρεσσ' ἀποειπέμεν, et formam ἀπειπέμεν una cum ἀπειπόντος Il. XIX, 75. disertis verbis Homero abjudicat eamque in rhapsodos confert, qui sexcentas alias formas mutaverunt.

ἑκάς (*procul*), ἕκαθεν, ἑκάτερθε, ἑκαστέρω, ἑκαστάτω, ἑκαστόθι, ἕκατος, ἑκάτερος, ἑκατηβόλος, ἑκατηβελέτης, ἑκάεργος etc. Cf. *Heynium* ad Il. tom. IV. p. 17. VII. p. 743. qui nimis audax locos repugnantes correxit. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 118 sq., qui nuper in edit. Iliad. XIII, 107. νῦν δ' ἕκαθεν ipse correxit in νῦν δὲ ἑκάς.

ἕκαστος (*quisque*) *).

ἑκυρός (*socer*) **).

ἑκών (*voluntarius*) et ἕκητι (*caussâ*). Digamma probant composita ἀϝέκων, ἀϝέκητι. Versus digammati infestos vide ap. *Spitzn.* l. c. p. 122. Quamquam solennis est hiatus ante ἕκητι, cf. *Wellauer* ad *Apoll.* Rhod. I, 334. tamen *Hermanni* lectio in Hymn. ad Ven. 148. ἀθανάτου δὲ ἕκητι pro ἀθανάτοιο δ' ἕκητι haud necessaria est, si innumerabiles alios digammati infestos locos in memoriam revocas. — Forma contracta ἄκουσα (i. e. ἀϝέκουσα) Hymn. in *Cerer.* 414. seriori aetati debetur.

ἕκηλος, εὔκηλος (*quietus*); ἕκηλος in quinto pede hiatum admisit (cf. Il. V, 759. VI, 70.) et Od. XXI, 289. articulus ὃ vocem ἕκηλος antecedit, qui elidi nequit. De origine vocis εὔκηλος ex ἐϝέκηλος, ἐϝκηλος vide *Buttm.* in Lexil. I. p. 145 sq. et *Fr. Thiersch.* in Gr. Gr. §. 161. annot. ἕκηλος, i. e. ϝέκηλος, proprie κϝη(λος), lat. *qui(etus)*. De hac etymologia dijudicare nolim; sin autem *Thiersch.*

---

*) De voce ἕκαστος diserte loquutus est *Spitzn.* l. c. p. 119—122. et numerus exemplorum digammati repugnantium multo excedit modum eorum, quae digammatis vestigia probant. Praeterea hiatuum plurimi regione, in qua percipiuntur, sunt excusandi.

**) Semel tantum haec vox hiatum fecit Il. III, 172., ex quo digammatis vestigium difficile est conjicere. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 122.

verum attigerit, equidem ἕκαστος, i. e. κϝασ(τος) compararerim cum lat. *quis*(*que*). Sed vehementer dubito. Vide notam *) pag. 20.

ἕλιξ, ἑλίσσω, ἑλκῶ vide ἕλω.

ἔλπω (*spero*), ἔλπομαι, ἐλπίς, ἐλπωρή (*spes*), ἔολπα, ἐέλπετο; compos. ἀέλπω, ἀελπής. Locos digammati non congruos vide apud *Spitzn.* p. 122.

ἕλω, ἕλω (*volvo*, *involvo*), εἰλέω, εἰλύω, εἰλυφάζω, εἶλαρ; ἔελμαι, Il. XIII, 524. ἐέλμενος, ἔελσαι, ἐείλεον. *Buttmann.* quem vide in Lexil. I, 78 sqq. formam ἐόλητο *Apollon.* Rh. III, 471. derivat ab εἰλεῖν. Saepius εἰλέω et εἰλύω syllabam brevem, quae antecedit, producunt, Od. XIV, 479. Il. XXI, 8. Cf. *Heyn.* ad Il. tom. VII, p. 745 sqq. et contra eum *Spitzn.* l. c. p. 122. Ab ἕλω, εἰλέω (*volvo*) descendit οὖλος *crispus*, i. e. ϝόλος, transp. ὄϝλος, οὖλος. Cf. *Buttm.* Lexil. I. p. 187. et II. p. 159.

ἕλω, ἑλίσσω, ἕλιξ, εἰλίκωπες, εἰλίποδες. *Heyn.* l. c. p. 746. *Spitzn.* l. c. p. 123. et *Buttm.* Lexil. II. N. 88. Stirpis ἕλω, ἑλίσσω est vox ὦλξ et αὖλαξ (*sulcus*), nata ex ἀνϝελίσσω, per assimilationem ἀϝϝελίσσω, αὐλίσσω. *Buttm.* Lexil. I. p. 243. derivat ab ἕλκω, ὅλκος. Ceterum notandum est, verbum ἕλκω in Homericis digamma non amplius habuisse.

ἕλω, ἑλεῖν (*capere*), ἕλωρ, ἑλώριον (*praeda*). Verbum ἑλεῖν in Homericis digammate caret, cujus tamen vestigia prae se ferunt ἕλωρ et ἑλώριον et augmentum ει in εἷλον. cf. supra pag. 15. Sine causa igitur *Heynius* ad Il. t. VII. p. 747. et IV. p. 8. vocabula ἕλωρ et ἑλώριον descendere facit ab ἕλω (*involvo*); qua de re *Spitznerus* l. c. p. 123. illi jure meritoque assensum denegat. Nihil, etiam si in Homericis exempla desiderantur, digamma verbo ἑλεῖν abjudicare suadet.

ἕννυμι (*vestem induo*), εἷμα, ἐσθής, ἔσθος (*vestis*); ἐϝεσσάμην, ἐπιϝειμένος. Locos digammati infestos congessit *Hermannus* ad Hymn. in Ven. 86. et *Spitznerus* l. c. p. 123 et 127.

ἕο, εὖ, οὗ (*sui*), οἷ (*sibi*), ἕ (*se*). Cf. *Heynium* ad Il. I. Exc. VII. (Vol. IV. p. 180 sqq.) et *Hermann.* ad Orphic. p. 774, qui praeter congruos etiam contrarios digammati locos collegit; et *Spitzn.* l. c. p. 123 sq.

ἕπος vide εἶπον.

ἔργω, ἐργάζομαι (*facio*, *ago*); εἷργον, ἔϝοργα, συνέϝεργον. — ἔργον (*opus*, *Werk*) et compos. ἀϝεργός, δημιοεργός, ἐντεσιεργός, κακόεργος, ὀβριμοεργός, ταλαεργός etc. Cfr. *Hermann.* ad Hymn. in Ven. 86. *Spitzn.* l. c. p. 125 sq.

Annot. Vox ἀργός apud Homerum num ex ἀεργός contracta sit, an non, difficile est dijudicatu. *G. Hermannus* de primordiis hist. Gr. IX. vocabuli explicationem ita in-

stituit, ut significationis ambiguitatem (ἀργός, *albus*, *candidus*, et ἀργός ex ἀεργός *celer*) servaret. „Ἀργόν *Micuum* reddidi, ut ambiguitatem nominis servarem. Nam qui cognata vocabula comparaverit, communem omnium *micandi* significationem reperiet, quae nunc ad solam *celeritatem*, nunc etiam ad *candorem* translata est.“ *Nitzschius*, qui hunc locum ad Od. II, 11.

— ἅμα τῷ γε κύνες πόδας ἀργοὶ ἕποντο

laudat, celerius, ut mihi videtur, *celeritatis* significationem probat. Canes Homeri semper candore pedum ornantur, unde κύνες ἀργίποδες. Neque obstant *Sophoclis* in Ajace 236. ἀργίποδες κριοί, qui pariter atque canes pedibus albis instructi dici possunt. Locos, ubi ἀργός semper *candoris* sensum habet, Nitzschius l. c. collegit, quem conferas. Etiam Harpyian Ποδάργην Il. XVI, 150. non cum *Timagene* et *Zenodoto* velocem sed candidis pedibus ornatam cogitemus necesse est, si hoc bene animadvertitur, Harpyias Homericas minime fuisse filias monstrosas Phinei. Huc accedunt canum et aprorum candidi dentes, σῦς ἀργιόδους Il. IX, 539. Od. XIV, 416. 423. 532. κύνες ἀργιόδοντες Il. XI, 292; et modum quasi excedens Homerus dentium candorem pinxit his verbis Il. X, 263 sq.

ἔκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες
ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Hic locus *Nitzschio* ad Od. VIII, 60. persuasit, ut significationem albi coloris praeferret. Idem suadent αἶγες ἀργικέρωτες in Oraculi vaticinio apud *Diodor.* Exc. Vat. VII, 4. Denique idem suadet *digamma*, ἀεργός, i. e. ἀϝεργός, quod in Homericis nondum tantopere obsoletum fuit, ut hoc ejecto vocales concurrentes contraherentur. Alius rationis est ἆτος pro ἄατος, nisi potius formam ἆτος temporibus adeo posthesiodeis tribuere malis. Apud scriptores Atticos ἀργός minus celeritatis, quam *tarditatis* et *otii* potius facultatem ostendit, et α praefixum non significationem quam dicunt intensivam, sed privativam habuit.

ἔργω (*arceo*), ἐργάθω, ἐϝέργω, ἕρκος, ἑρκίον; cf. lat. *arceo*, *coerceo* (pro *conerceo*). Multi quidem loci repugnant: cf. *Heyn.* ad Il. IV, p. 466, 7. VII. p. 344 et 750. *Spitzn.* l. c. p. 126; digamma tamen locum habuisse, augmentum ει - εἶργον - argumento esse potest. cf. supra p. 15.

ἕρδω vide ἄρδω §. 6.

ἐρέω, ἐρέομαι, ἔρομαι (*dico*); εἴρηκα. *Heyn.* Vol. VII. p. 751. exposuit, verbum ἐρέω, i. e. *dico*, digamma habuisse; ἐρέω, i. e. *interrogo* non habuisse. Exempla favent huic praecepto; verumenimvero exemplis vix opus est; augmentum ει satis rem comprobat. cf. supra p. 15.

ἔῤῥω (*erro*) in fine versus Il. VIII, 239. IX, 364. XVIII, 421. ἔνθαδε ἔῤῥων; αὐτὰρ ὁ ἔῤῥων. Si cui haec exempla hiatus, alias in Homero solemnia, nil probare videantur, is tamen conferat ἄρδω, ἔρδω, quibus digamma adhaeret et stirps ῥέω, ἐῤῥω communis est. Cf. *Buttm.* lexil. II. p. 170.

ἔρση, ἐέρση (*ros*) vide ἄρδω §. 6.

ἐρύω, εἰρύω (*traho*), αὐερύω (*retrotraho*) Il. I, 459. pro ἀνϝερύω cf. pag. 14. De verbo ἐρύω cf. *Heyn.* in excurs. ad Il. I, 141. Vol. IV. p. 177—180., qui audaci ratione locos digammati contrarios mutat. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 127.

ἐσθής, ἔσθος vide ἕννυμι.

ἕσπερος (*vesperus*) constanter hiatum habet.

ἔτης (*socius, amicus*) sine controversia aspirationem digammatis tuetur. Miro modo *Apollonius* Rh. I, 305. ὁμαρτήσουσιν ἔται habet. Sine dubio ν abjiciendum est, imprimis quod animadvertere licet, plurimos fere codices in sexcentis aliis locis Argonauticorum ν omittere, quibus *Wellauerus* id injunxit, fortasse hiatum apud Apollonium satis frequentem nimis infestans, dum *Brunckius* nimio amore eum amplexus est.

ἔτος (*annus*), lat. *vetus*, i. e. annosus. Composs. αὐτοέτης, ἐξαέτης, πανταέτηρος etc. Od. VII, 118. ἐπετήσιος forsan ex ἐϝετήσιος, cf. supra pag. 12. ἐπίαχε — ἐπηετανός.

ἐτώσιος (*inanis*) *).

ἔχω (*habeo*), ἴσχω. Hoc verbum in Homericis digamma non amplius habuit, cujus tamen vestigia sunt augmentum ει in εἶχον (vide pag. 15.), productio praepositionis συν in σῦνεχές pro συνϝεχές; Il. X, 264. θαμέες ϝέχον ἔνθα καὶ ἔνθα; hiatus Il. V, 90. οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει. Non ignoro quidem correptum σῠνεχον Il. IV, 133. Ratiocinari licet, digammatis vim hujus verbi Homeri temporibus jam tantopere hebetatam fuisse, ut saepius occuleretur quam appareret. Cf. *Buttmann.* Gr. Gr. ampl. II. p. 355. nota *) et p. 349., qui adjectiva in οῦχος aliter explicari non posse putat, nisi digammate radicali verbi ϝέχω; ex. c. πολιοῦχος, ῥαβδοῦχος pro πολιόϝοχος, ῥαβδόϝοχος.

§. 8.

Literae H et I.

ἥ femin. pronominis ὅς, quod vide §. 9.

ἡδύς, ἥδομαι vide ἁνδάνω §. 6.

---

*) ἐτώσιος (*inanis*) digammatis expers est; hiatus qui occurrunt, omnes ferri possunt. Il. V, 854. δίφροιο ἐτώσιον. XV, 407. XXII, 292. ὠκὺ ἐτώσιον. Od. XXII, 266. 273. πολλὰ ἐτώσιον in caesura tertii pedis. Syllabae οιο et υ non eliduntur. — Locos contrarios contulit *Spitzn.* l. c. p. 128.

ᾔδειν plusqpf. vide εἶδον §. 7.
ἦθος (*mos*, *usus*), composs. ἀήθεσσον i. e. ἀϝήθεσσον Il. X, 435. et ἀήθεια recentioris adeo aetatis, pro ἀνήθεια.
ἤϊα, ἤϊος *).
ἦκα **).
ἧλος (*clavus*), digamma divinatur ex ἀργυρόηλος.
ἤνοψ ***).
ἦρ vide ἔαρ.
ἦρα †).
Ἥρη (*Juno*) digamma non habet; πότνια Ἥρη defenditur eo, quod πότνια elisioni non obnoxia est, ut alio loco docebimus; pro πότνι' semper restituendum erit πότνα. Cfr. etiam *Spitzn.* l. c. p. 129. *Hermann.* ad Orph. p. 755.
ἰάχω (*vociferor*), ἰαχή (*clamor*). De digammate dubitari nequit; saepissime vocalis brevis, quae praecedit, producitur. Il. IV, 456. 506. V, 343. XI, 463 etc. Compos. αὔΐαχος Od. XIII, 41, quo etiam utitur *Quint.* Smyrn. XIII, 70. Vide supra p. 14. Syllabarum metrum hoc est ἰάχω (⏑⏑–); forma autem ἴαχε plerumque dactylum explet (–⏑⏑) et *Heynius* ad Il. XIX. tom. VII, p. 756 sq. productionem deducit a digammate interposito: ϝίϝαχε. Diligenter autem se circumspicienti, productionem augmento deberi, apparebit. Nunquam enim Praesentis forma ι productam habet; plerumque tamen forma ἴ̈αχε et ἴ̈αχον. Cf. sententiam *Spitzneri* l. c. p. 129 sq.
ἴδε (*vidit*), ἰδέειν, ἰδέσθαι etc. vide εἶδον.
ἰδέ (*et*). Haec particula ingentem hiatuum numerum tam in Homericis quam reliquis epicorum poetarum carminibus admisit, et merito *Spitznerus* V. Cl. miratur, quod fautores digammatis huic voculae aspirationem non praefixerint. *J. H. Vossius* ad Hymn. in Cer. 190 et 285. jam annotavit, τὲ ante ἰδὲ nunquam fere vocalem abjecisse et *Spitznerus* in edit. Iliadis permultos versus, in quibus *Heynius* et inter-

*) ἤϊα (*praeda*) et ἤϊος, cognomen Apollinis, digammate carent, ut *Spitzn.* l. c. p. 129. jam docuit.

**) ἦκα (*leniter*, *tacite*) proscribendum est ex hoc catalogo. Cf. Il. XXIV, 508. ἀπώσατο ἦκα γέροντα. Od. XVII, 254. αὐτοῦ, ἦκα κιόντας. Hiatus in fine quarti pedis nihil probat.

***) ἤνοψ (*splendidus*) Il. XVIII, 649. Od. X, 360. ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ. Ἐνὶ elidi nequit; praeterea hiatus in fine quarti pedis est. Il. XVI, 401. XXIII, 634. Θέστορα, Ἤνοπος υἱόν praecedente interpunctione hiatus excusatur.

†) ἦρα digamma non habuit. Od. III, 34. hiatus caesura defenditur et compositum ἐπίηρα dubium est. Cum *Buttmanno* (Lexil. I. p. 152 sqq.) Il. I, 572. ἐπὶ ἦρα legendum erit, et miror, quod *Spitznerus* in edit. Iliadis tmesin ἐπὶ - φέρειν spreverit. Praepositio ἐπὶ saepissime apud Homerum hiatum fecit, nec non apud seriores poetas.

dum *Wolfius*, scholiorum brevium auctoritate adducti, τ' ἠδ' pro τε ἰδ' scripserunt, ita sanavit, ut τε ἰδ' restitueret. Cf. *Spitzn.* ad Il. II, 697. IV, 382. VI, 469. VIII, 162. X, 573. XII, 311. Praeter hos locos cf. V, 3. XIV, 176. 348. Od. III, 10. XVIII, 249. XII, 289. *Hes.* Scut. 199 etc. in quibus omnibus ἰδὲ cum antecedente vocali hiatum efficit. Permultis aliis in versibus vocabulum ἰδὲ antegreditur ν ἐφελκ., quod serius forsan est annexum. Cf. Il. III, 194. XI, 15. Od. XI, 625 etc. Versus in *Hes.* Scut. 199.

ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶν ἰδὲ χρυσέην τρυφάλειαν

nunc legitur:

ἔγχος ἔχουσ' ἐν χερσὶ χρῡσείην(?) τε τρυφάλειαν.

Cf. *Göttling.* ad h. l.

ἵεμαι (*cupio*). Locos contrarios vide apud *Spitzn.* l. c. p. 131.

ἵημι (*mitto*), ἕηκεν, προέηκεν.

ἴκελος vide εἴκω.

ἰκμάς (*humor*) semel occurrit Il. XVII, 392.

κυκλόσ' ἄφαρ δέ τε ἰκμὰς ἔβη, δύνει δέ τ' ἀλοιφή.

Dubitari igitur potest.

Ἴλιος (*Ilium*). Locos digammati infestos mutavit aut proscripsit *Heynius*. Cf. *Spitzn.* l. l. p. 133.

ἶνες vide ἴς.

ἴον (*viola*), ἰοειδής. Recte quidem *Spitznerus* l. c. p. 133. animadvertit, voces in locis obvenire, de quibus judicium fieri nequeat, lingua tamen latina — *viola* — digamma probat, et agnoscunt Grammatici. Cf. *Terentian.* p. 2397.

ἰονθάς et ἶπες *).

Ἶρις, apud Lacedaemonios Βῖρις. Vide pag. 12.

ἴς, lat. *vis*, plur. ἶνες (*nervi*) et ἰνίον (*occiput*).

ἴσημι, ἴσασι, ἵστωρ, ἄϊστος vide εἴδον.

ἴσος (*par*, *aequalis*). Locos contrarios vide apud *Spitzn.* l. c. p. 132 sq.

ἴτυς (*ambitus rotae*). Modo in Il. IV, 486.

ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικάλλεϊ δίφρῳ.

Digamma testatur *Terentianus* p. 2397. ἴτυς apud Aeoles βίτυς. Vide pag. 12.

ἰωή (*clamor*), ἰῶκα, ἰωκή, ἰωχμός **).

---

*) ἰονθάς (de *villosa* capra) semel hiatum patitur Od. XIV, 50. in caesura primaria; parum ergo efficit locus. Ἶπες (*vermes*) semel modo Od. XXI, 395. praecedente κέρα-κέρα ἶπες. Saepius autem κέρα ante vocalem deprehenditur, et num mensura sit κέρᾱ an κέρᾰ alio loco explicabimus.

**) ἰωή, cum genitivo Thessalico in -οιο concurrens, hiatum efficit in Homero solennem. ἰωκή in sede quinta hiatum admisit, et voces ἰωχμός, ἰωγή, quae ejusdem radicis sunt, *Heynius* ipse l. c. tom. VII. p. 761. digamma non habuisse sibi persuasum habuit. Quum loci obvii nihil efficiant, digamma stirpi ΙΩ fuisse negaverim. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 133 sq.

§. 9.

Litera O et Ω.

ὃ et οἷ formae pronominis ὅς (*suus*), quod vide. οἷ (*sibi*) *dativ.* Vide οὗ.
οἶδα (*novi*) vide εἶδον §. 7.
οἶδμα (*tumor*) *).
οἶκος (*domus*), cf. lat. *vicus.* οἰκέω, οἰκίον, οἰκόνδε, οἴκαδε, οἰκόθεν. Digamma plerumque observatur. Locos infestos collegit *Spitzn.* l. c. p. 134. et *F. G. Wilberg*: Lectt. Homeric. spec. I. p. 17. plures locos falce critica mutare studuit, nulla necessitate cogente.
οἶνος, lat. *vinum*; οἴνοψ, οἰνοποτάζω, οἰνοχοεύω, ἐῳνόχοε, οἰνοβαρέως etc. Locc. contrarr. ap. *Spitzn.* p. 134 sq. Od. III, 472. ἐνοινοχοεῦντες i. e. ἐνϝοινοχοεῦντες; fortasse legendum est οἰνοχοεῦντες abjecta praepositione; οἶνον ϝοινοχοεῦντες ἐνὶ χρυσέοις δεπάεσσι, utique quum ἐνὶ sequatur.
ὅς et ἑός; ἥ, ὅν (*suus*). Saepius ὅς hiatum admisit, aut vocalem antecedentem produxit, ut Il. XI, 330. οὐδὲ ὃυς παῖδας. XIV, 92. ὅστις ἐπίσταιτο ᾗσι φρεσίν. XVII, 196. ἀρᾶ ᾧ παιδί; etiam diductio vocis ὅς in ἑός digammatis vestigia prodit - ἐϝός. Cf. *Heyn.* ad Il. I. excurs. VII. Sed multa quoque digammati contraria obvia fiunt. Cf. *Spitzn.* l. c. p. 128.
οὗ, εὗ, ἕθεν — οἷ, ἕ. Hae pronominis formae sine exceptione fere digammatis vim ostendunt, et pauca tantum exempla exstant, quae repugnant. Cf. *Thiersch.* Gr. §. 156. Resistunt quatuor loci, quibus mederi licet abjiciendo ν paragogico. Il. V, 56. 80. XX, 402. Od. VIII, 217. Accedit Od. XVIII, 14, quo loco ἕ supervacaneum videtur, id quod confirmant Codex Vratislav. et Harlejanus. Il. XIV, 162. ἐντύνασάν ἑ αὐτήν ab *Hermanno* ad Orphic. p. 778. emendatur ἐντύνασα ἑ αὐτήν, quem cfr. Septimus Homeri locus est Il. XIX, 384. πειρήθη δ' ἕο αὐτοῦ. Cum hoc loco confer *Apoll.* Rh. III, 594. νόσφιν δ' οἱ, lectio vulgata, quam *Brunckius* in νόσφι δέ οἱ mutavit. At vide infra §. 25. sub finem. Multos locos, in quibus syllaba in consonam literam desinens ante οἷ non producitur, collegit *Hermannus* l. c. p. 782. adde *Apoll.* Rh. I, 643. τοκῆος, ὅς οἱ, quo loco *Wellauerus*, quem conferas, ὃ οἱ scripsit. Idem versibus Homericis, quibus ὅς οἱ inest (cf. Il. VI, 90. XIII, 561. Od. I, 300. III, 198. 308. XXI, 416), ὃ pro ὅς, quod librariis hiatum delere volentibus deberetur, reponi jubet.

---

*) οἶδμα cum vocali concurrit in fine quarti pedis Il. XXI, 234. et si quis XXIII, 230. ν ἐφελκ. abjiceret ὃ δ' ἔστενε(ν) οἴδματι θύων, hac re nihil ad digammatis auctoritatem efficeret.

Jam *Bentlejus* et *Heynius* hanc conjecturam proposuerunt, qua non opus est. Intactum reliquit *Wellauerus* Apoll. III, 205. τὸ μέν οἱ, quem locum *Hermannus* l. c. p. 782. τό ῥά οἱ emendavit.

οὐλαμός (*belli tumultus*). De hujus vocabuli digammate dubitari potest, dum hiatus in fine quarti pedis obvenit. Cf. Il. IV, 251. 273. XX, 379.

οὖλος (*crispus*) cf. german. *wollig*. Si οὖλος est pro ὅλοος (*totus*) aut ὀλοός (*perniciosus*), digammate caret. Sed vide s. v. ἔλω §. 7. *Buttmanni* etymologiam.

ὦλξ, αὖλαξ (*sulcus*). Cf. §. 7. s. v. ἔλω, ἑλίσσω. Exempla digammati congrua sunt Il. XIII, 707. *Apoll.* Rh. III, 1333. κατὰ ὦλκα; Od. XVIII, 375. τῷ κέ μ' ἴδοις εἰ ὦλκα. *Hes.* Opp. 443. ἰθεῖαν αὔλακ' ἐλαύνοι. *Bentlejus* scripsit ἰθείην et *Spitzn.* l. c. p. 135. inseruit ἀνὰ praepositionem: ἰθεῖαν ἀν' αὔλακ' ἐλαύνοι. Praeter *Heynium Hermannus* quoque ad Orphic. p. 735. digamma defendit et *Buttmann.* in lexil. I, 243.

ὥς (*ut*, *velut*). Huic particulae *Bentlejus* digamma adscripsit, *Heynius* abjudicavit. Animadvertere licet permagnum locorum numerum, in quibus syllaba brevis, quae ὥς antecedit, producitur, cf. Il. V, 476.

ἀλλὰ καταπτώσσουσι, κύνες ὥς ἀμφὶ λέοντα.

Vel seriores poetae hoc observant. *Apoll.* Rh. II, 566. νέφος ὥς. Et saepius brevis vocalis hiatum fecit. Nisi quis inde digamma colligere velit, is tamen infitias non ibit, hanc particulam a quadam aspiratione, literae consonae simili incepisse, quae illam rem explicat. Omnino memoratu dignum est, multa vocabula a spiritu aspero incipientia in latina lingua a litera s incipere, de qua re vide §. 24.

§. 10.

Digamma in media voce.

Cfr. *Heynius* ad Il. XIX, Excurs. IV. tom. VII, p. 765—772. — *Fr. Thiersch.* Gramm. Gr. §. 160 sq.

1. Vocabula digammate ab initio instructa id retinent in commissura cum aliis vocabulis et in formarum mutatione praefixis syllabis, ut ἄγνυμι, aor. ἔϝαξα; ἔλπω, perf. ἔϝολπα; προϊδών, i. e. προϝιδών; διαείδομαι, i. e. διαϝείδομαι pro διείδομαι; ἀποεργάθω etc. Multa ejusmodi exempla in §§. praemissis collecta sunt; cf. etiam pag. 10. Res per se clara est. At quod vidimus, saepius jam in Homericis versibus digammatis vim negligi, idem animadvertere licet in compositione verborum, quae a digammate exordiuntur, ut ἐκκατιδών pro ἐκκαταϝιδών, ἐξειπεῖν, διειπεῖν pro ἐκϝειπεῖν, διαϝειπεῖν; ἐπιάλμενος una et ἐπάλμενος etc. — Quae digammatis ser-

vandi inconstantia *Bentlejum* induxit, ut nulla ratione sermonis Graeci habita falce critica in verba Graeca saeviret, verba tritissima et usu sancita corrigeret et, hoc unum sufficiat, εἰςανιδών, ἐξεικών etc. mutaret in εἰςαναϝιδών, ἐκϝεικών. Plura de digammatis abusu vide §. 13.

2. Praeter vocabula, quae in §§. 6—9 recensita sunt, multa alia exstant, quae digamma *in medio loco* habent, ut ὄϊς, ὄϝις, lat. *ovis*; ὠόν, ὤϝόν, lat. *ovum*, αἰών, αἰϝών, lat. *aevum*. Qua de re *Priscianus* Gramm. lib I. p. 547. ita disputavit: „Ubique *Aeoles* loco aspirationis *Vau* interponere. Hiatus quoque causa solebant illi interponere ϝ digamma. Quod ostendunt etiam poetae Aeolidae, uti Alcman: καὶ χεῖμα πῦρ τε δάϝιον; et epigrammata, quae egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat in Xerolopho Byzantii, sic scripta: Δημοφάϝων, Λακοφάϝων.“ Et *idem* lib. VI. p. 709. „*Bos*, *bovis*, quod ideo assumit genitivo V loco digamma, quia Aeoles quoque solent inter duas vocales ejusdem dictionis digamma ponere; quos in multis nos sequimur: ὄϝις ovis, Δάϝος Davus, ὠϝόν ovum.“

3. Quod digamma in mediis vocabulis quum saepius explicet, cur vocalis producta sit, nec non etymologiam illustret, ejus observatio non sine utilitate est; sed cavendum, ne digamma odoremur, ubi nullius vestigium affuerit. Singula verba digammate in mediis syllabis instructa enumerare missum facimus. Cfr. de hac re *Heynius* et *Fr. Thierschius* VV. CC. l. c. Haec tamen monenda sunt, quae ad nominum et verborum formas digammatis potestate mutatas pertinent.

§. 11.

Digamma in mediis syllabis Nominum.

1. Vocabula, quae in Homerico sermone duas presse sibi insequentes vocales distinent, in dialecto Attica demum in unam syllabam coalescentes, digamma habuisse interpositum conjici potest. Ut

Homerus	*Latine*	*Attice*
λᾶας, λᾶϝας	*lapis* (pag. 12.)	λᾶς
κληΐς, κληϝίς	*clavis*	κλεῖς
ὄϊς, ὄϝις	*ovis*	οἶς.

Sic φάος attice φῶς et ἠέλιος attice ἥλιος digamma habuerunt, et *Pamphylius* (cf. Heraclid. apud Eustath. ad Od. X. p. 1654. ed. Rom.) scripsit φάβος, βαβέλιος; inde apparet ab radice φάω, φάος descendere Φοῖβος. Cf. pag. 12.

2. Si qua vocalis ante insequentem vocalem mensuram longam habet, inter ambas digamma regnasse verisimile est. Ut

λᾱός (*pop.*)	νᾱός (*templ.*)	δῖος (*divus*)	πρᾱΰς (*tranqu.*)
i. e. λαϝός	ναϝός	διϝός (p.16)	πραϝύς cf. *probus*, *brav*.

3. Digamma tribuitur vocibus, quae vocales α, ε, ο, a quibus exordiuntur, in αι, ει, οι diducere possunt. De digammate in ι mutato vide supra §. 4. pag. 15.

4. Terminatio genitivi primae declinationis ᾶο, ut Ἀτρειδᾶο, proprie fuit αϝο; postquam digamma aboleverat, vocales αο in diphthongum ω contractae sunt et more epico vocalis ε praeposita est, unde terminatio genitivi εω, ut Ἀτρείδεω, Πηληιάδεω. Plura de hac re in capite de declinatione prima.

5. Terminatio genitivi secundae declinationis οιο et οιϊν proprie fuit οϝο et οϝιν. De hac re vide §. 4. pag. 16.

6. Nomina tertiae declinationis in εύς exeuntia vocalem υ ortam habent ex digammate. Cf. supra §. 4. pag. 16.

7. Nomina adjectiva, a substantivis in εύς, i. e. έϝς profecta et in ήϊος, i. e. έϝιος exeuntia ab Homero digammatis causa nondum in εῖος contracta sunt; ut βασιλεύς, adj. βασιλέϝιος, ϝ mutato in ε (cf. §. 4. p. 17.) βασιλεέϊος, εε contracto in η - βασιλήϊος. Attice βασίλειος, a βασιλέϊος, digammate omisso.

§. 12.

Digamma in mediis syllabis Verborum.

1. Multis verbis in άω digamma inhaerebat, ut

ἐλάω (*impello*), ἐλάϝω, ἐλάϝσω, ἐλαύσω. cf. ἐλαύ(ν)ω.
κάω (*uro*), κάϝω, κάϝσω, καύσω.
κλάω (*fleo*), κλάϝω, κλαίω, κλαύσομαι.
φάω, ἔφασαν, φάϝω, φαύω, πιφαύσκω.
χράω (*tango*), χράϝω. aor. conj. χραύσῃ Il. V, 138.
ψάω (*tero*), ψάϝω, ψαύσω.

2. Verba ejusmodi sunt in έω:

δέω (*egeo - irrigo*), δέϝω, δεύω; δέομαι futur. δεήσομαι subnatum puto ex δέϝομαι, ϝ mutatum in ε, δεέομαι, inde recte se habet δεήσομαι. Adde ἐπιδεής et ἐπιδευής.
θέω (*curro*), θέϝω, unde θεύσομαι.
κλέω (*voco*) unde κλυτός (*inclytus*).
πλέω (*navigo*), πλέϝω, πλεύσομαι.
πνέω (*flo*), πνέϝω, unde ἐμπνεύσῃ. Cf. πνοή et πνοιή §. 4. pag. 16.
ῥέω (*fluo*), ῥέϝω, ῥεύσομαι, ἔῤῥευσα; ῥυτός.
σέω (*percutio*), σέϝω, σεύω, σείω.
(συλέω, *traho*), συλέϝω, συλεύω; usitatius tamen συλάω.

3. De verborum formis, ut καυάξεις, αὐερύσας, εὔαδε etc. vide in catalogo verborum, quibus digamma ab initio praefixum fuisse creditur. — *Heynius*, qui ad Il. XIX, excurs. IV. tom. VII, p. 771 sq. de verbis in ύω disputavit, quae

vocalem *υ* modo producunt, modo corripiunt, hanc rem non recte, ut opinor, ad digammatis virtutem retulit.

§. 13.

De abusu digammatis.

Fuerunt, qui digamma potissimum inquirerent atque investigarent, ut ingenti numero hiatuum in Homericis hoc adminiculo mederentur. Quam incerta vero et periculosa sit haec ratio sonum aspirationis restituendi, quae mature in ore Graecorum aboleverat, in scriptis autem monumentis non amplius picta reperitur, nemo facile non intelligit. Ne igitur mireris, quod viri docti et admodum sagaces de digammatis auctoritate et vi diversas sententias foverunt, alii majorem, alii minorem vocabulorum, quibus digamma adhaeserit, numerum constituerunt, alii ob inconstantiam virtutis aeolicam aspirationem prorsus sustulerunt.

Ex iis, quae in §. 3. pag. 10. diximus, manifestum fit, unde venerit magna quae videtur inconstantia virium digammatis. Nec ulla de causa necesse est nos angamus de duplici ejus natura. Haud considerate *Heynius* saepissime in usum suae de digammate doctrinae interpolationes et correctiones divinavit, ubi nullae erant arguendae, et *Bentlejus*, digammatis instaurator, ridiculas fere verborum distortiones et immutationes suscepit. Si quis digammatis causa versus Homericos ex sua sententia aut corrigere, aut si ea res haud feliciter procederet, proscribere vellet, profecto maximam versuum partem mutare aut relegare eum oporteret. Plura de hac re leguntur in *Spitzneri* libro doctissimo de versu heroico cap. IV, §. 2.

Heynio miranti, quod nihilominus tam multa ex digammatis usu subnata quam religiosissime in libris scriptis servata sunt, ut ne *ν ἐφελκ.* quidem, quippe quo inserto plerosque hiatus explere voluerunt, critici interposuissent, haecce res indicio esse potuit, quam cautis et certis manibus critici veteres Homerica tractaverint atque tradiderint. Quam quidem integritatem librorum scriptorum nostrae aetatis critici et grammatici de suo arbitrio turbare considerate abstineant. Exempla poetarum Alexandrinorum, qui legendo et relegendo Homerum linguam ejus et leges metricas mira quadam diligentia perdidicerunt et imitati sunt, gravissima argumenta nobis esse debent, Homerica qualiacunque ad nos venerint, a veteribus criticis rarius, quam videtur, mutata esse.

Homerica quum pluribus saeculis ante, quam literis mandata fuerint, interpolationibus et corruptionibus cujuslibet generis obnoxia essent, non mirum est, si multa his carminibus obtrusa percipiuntur, quae seriorem aetatem redolent;

quae tamen, quum jam veteres grammatici ob magnum temporis recessum ad liquidum ducere non possent, a recentioribus vix discerni poterunt. Interpolationes atque emendationes licet animadvertamus, numerum tamen locorum *particulis*, *v paragogico*, *verborum transpositione* etc. correctorum nunc difficile est invenire et certa fide emendare. Melius igitur consulimus carminibus Homeri, qualia aetatem nostram tulerunt, ea religiosissime servantes, quam pro dubitu colorem eorum genuinum magis magisque regulis grammaticis exstinguentes. Hoc certe constat, Homeri et Hesiodi temporibus digammatis vim nondum abolevisse; fines autem circumscribere, inter quos regnaverit, idque in regnum restituere integrum, critici frustra hodie moliuntur.

Itaque falsa et perversa est ratio, ope digammatis omnibus qui versui inesse videntur vitiis mederi. De hiatu ejusque legibus, quibus poetae eum admiserunt, alias docebimus. Vocabula igitur plura, quibus hiatus causa digamma adscripserunt, ejus expertia probari possunt et supra probata sunt. Vide catalogum §. 6—9. Eos quoque, qui digamma praeter literam labialem aliarum quoque locum sustinuisse velint, errore captos esse, jam supra §. 3. pag. 8. innui. *Fr. Thierschius*, vir clarissimus et de Grammatica linguae graecae egregie meritus, *γ* ab initio vocabulorum *γαῖα*, *γέντο*, *γδούπησε*, *ἐρίγδουπος* e digammate subnatum esse docet. Verum enimvero isti *γ* vocibus affixo simile, ut jam docuimus, additamentum est *λ* in *λείβετο εἴβετο*, *μ* in vocibus *ἄμβροτος*, *ὄμβριμος*-*ἄβροτος*, *ὄβριμος*, *δ* in *μόλιβδος*, *ϑ* in *μαλϑακός*, *τ* in *πτόλις*, *πτόλεμος*, *ν* in *ἀπάλαμνος*, *νώνυμνος*, *σ* in *φερέσβιός*, *ϑαυμαστός* etc. Consonas illas partim ad metri utilitatem partim ad vocabulorum sonum efferendum adjectas esse luce clarius patet. At non solum *γ* sed C. Q. QV etiam pro digammate suppositum esse volunt, ut in pronomine *οἷ ϝοῖ*, lat. QVOI, COI, CVI; *ἅ ϝά*, QVA etc. Equidem ipse non nego, pronominis *qui*, *quae*, *quod* etymon Graecum esse *ἴς*, *ἵς*, *ϝίς* s. *ὅς*, *ἥ*, *ὅ*; nunquam tamen credam, digammatis sonum causam fuisse, qua Latini pronominis formam a QV inceperint. *Indoles et natura linguae Romanae* sonum QV genuit; quae multa alia verba e sermone Graeco in Latinum deducta mutavit, ut *ἕξ*-sex, *οἷ*, *ἕ*, i. e. *ϝοῖ γέ*, lat. *sibi*, *se*, non *quibi*, *que*; quamquam certo constat, voculam *ἴς*, *ἵς*, *ϝίς* radicem quoque esse pronominis *οὗ*, *οἷ*, *ἕ*. Nemo ullus contendet, literam s subnatam esse ex spiritu graeco aut digammate.

Cavendum sane est, ne literula *Βαῦ* totius alphabeti mater fiat et omnipotentiam quandam in etymologia exerceat, ita ut Protei instar quamlibet naturam assumat. Alia est di-

gammatis vis et virtus, alia linguae natura et indoles, quae pro varia populorum et temporum ratione varia est.

CAPUT TERTIUM.

DE ASPIRATIONE.

---

§. 14.

Signa aspirationis.

Cfr. *Villoison.*: Prolegomena ad Homerum p. II. III. — *Buttmann*: Gramm. ampl. §. 6. — *L. Bischof*: de spiritus asperi in mediis verbis Graecis pronunciandi ratione. Vesaliae 1826. — *Lehrs*: de Aristarchi studiis Homericis dissert. IV, c. II. (p. 316 — 345) de interaspiratione.

1. Disputationem de digammate s. aspiratione aeolica propterea ab altera de vulgari aspiratione sejungendam putavimus, quod nimium inter utramque aspirationem discrimen intercedit. Hoc fere commune habent, ut earum natura et vires satis occultae sint atque obscurae. Sed ad rem.

2. Vocales omnes, a quibus vocabula exordiuntur, aspiratione quadam sive *aspera* sive *leni* pronuntiari, res satis nota est. Quam aspirationem antiquissimis temporibus verisimile est nullo signo perscriptam fuisse. Athenis, *Heynius* ad Il. XIX. tom. VII. p. 716. suspicatur, in qua urbe pronuntiatio omnino a molliori recessit, signum H inventum et frequentatum esse. Quod minus crediderim. Istud H hebraico ח (*cheth*) literae gutturali respondet, cujus locum in alphabeto Romanorum et recentiorum populorum litera h (𝔥) obtinet. cf. §. 1, 4. Qua re satis probabile fit, literam H serius η factam, mature a Graecis jam cognitam et usitatam, neque ab Atheniensibus demum inventam esse.

3. Graeci procul dubio H (h) paullo minus e gutture pronuntiabant, quam Orientales, et nos, Latinorum exemplo, qui spiritum asperum litera h reddere solent, adducti, primam literam vocis ab aspiratione graviore incipientis per h proferre solemus.

4. Signum H ab initio ad graviorem tantum sive *asperam* quam dicunt aspirationem insigniendam primae vocabuli literae praefixum est; *lenem* aspirationem Graeci nullo adhuc signo perscripserunt. In monumentis et inscriptionibus nomen Homeri ita fere exsculptum obvenit: HOMEPOΣ pro Ὅμηρος, unde in alphabeto Romanorum H, h. cf. *Athen.* IX. p. 397. E. — Certissimum hujus rei argumentum praebet

signum numeri *centum* apud Graecos *H*, i. e. prima litera vocis *HEKATON*; quae litera initialis H esse non desiit signum numerale (γράμμα ἐπίσημον), postquam signum aspirationis H aliud (⊢ s. ʽ) factum erat. Cf. *X* = 1000 a *X*(ίλιοι), *Δ* = 10 a *Δ*(έκα), *Π* = 5 a *Π*(έντε); lat. C = 100 a C(entum) etc.

5. Ex tempore Euclidis, archontis, quum literam H loco diphthongi η usurpare coepissent ideoque adspirationis signo carerent, Graeci neque molliorem neque asperiorem spiritum insigniverunt. Aetate demum Ptolemaeorum, regum Aegypti, qui de literis Graecis optime meruerunt, *Aristophanes* Grammaticus, e Byzantio oriundus (fl. circa 200 a. Chr.) signum aspirationis reduxit, qui ut asperum simul et lenem spiritum vocibus appingeret, literam H dissecuit (⊢ et ⊣), et altera parte ⊢ *asperum*, altera ⊣ *lenem* spiritum insignivit. Quae signa sensim in ⌞ et ⌟ mutata, postremo ob commodiorem scribendi rationem in parvulos uncos ʽ et ʼ transierunt. *L. Bischof* in libello supra laudato docet, signa ⊢ et ⊣ imprimis in monumentis et numis civitatum magnae Graeciae reperiri. Omnium instar unum modo adscribo exemplum Ἥρα antiquitus ⊢*HPA*. Cfr. *Mazocchius* ad tabb. Heracleenses diatr. II. p. 138. Circa Olymp. CXIV (324 a. Chr.) scriptum est ⊢*ΩΣ*, *AN⊢EΛOMENOΣ*, *ΠAP⊢EΞONTI* etc.

Ex quo tempore *Aristophanes* Byzantinus spirituum signa invenerat, omnibus vocabulis, quae a vocali inceperunt, spiritus sive lenis sive asperi signum praefixum est pro lege pronuntiationis.

§. 16.

De spiritu in media voce.

1. Sicuti digamma non solum in initio vocabulorum, sed media etiam in voce occurrit (cf. §. 10.), imprimis in vocabulis compositis, quorum alterum digammate ab exordio instructum fuit, ut ἀϝεργός, ἀϝέκων, ita spiritus quoque asperior in media voce recurrit, ut *ENHOΔOΣ* i. e. ἔνοδος, et exempla §. 14. fine allata: *AN⊢EΛOMENOΣ*, *ΠAP⊢EΞONTI*. Quum vero Graeci spiritum in mediis syllabis scribebant, eum certo quoque proferebant, et nos oportet παρίστημι pronuntiare *parhistēmi*.

2. In grammaticorum libris multa exempla offeruntur, quae in medio vocabulo more antiquo spiritum asperum interpositum habent. *Eustathius* ad Il. I, 8. p. 150 ed. Rom. docet: ὅτι δὲ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οὐ μόνον τὰ ἀρκτέα τῶν λέξεων φωνήεντα ἐπνευματίζοντο, ἀλλὰ καὶ τὰ διὰ μέσου ἐν ταῖς συλλαβαῖς ὡμολόγηται ὑπὸ τῶν ἀντιγράφων. Cf. etiam *Etymol. Magn.* s. v. εὔϊος· Εὐοῖ, lat. *evo'hi*.

Etym. M. p. 821, 25. *Phavor.* 1890, 21. Spiritum mediis nominibus inseruerunt *Aristarchus*, *Herodianus* et alii grammatici; ex. c. εὐάδε, ὠκύαλος, ἀμφίαλος, φίλιππος. Id fecerunt eo consilio, ut etymologia certa atque manifesta esset. Et sicut Latinus modo scripsit *aënus* modo *ahenus* (vide Gellii N. A. II, 3.), *prooemium* et *prohoemium* (*Cic.* de Republ.), ita Grammaticus *Trypho*, tempore Augusti Caesaris scripsit ἀέκων, ἐξέδρα, lat. *exhedra.* cf. *Eustath.* p. 764. ed. Basil. *Athen.* IX. p. 397. E, *Hesych.* s. v. ταώς; reperiuntur ταῶς, λαῶς, λεῶς, κραῶς. Vide *Lehrs.* de Aristarch. stud. Hom. p. 316 sq., qui magno momento aestimat hanc observationem; alii eam minoris habent. Quae ad Homerum pertinent, *Lehrsius* V. Cl. diligenter collegit ex Homeri scholiis.

3. Ex vocibus allatis conjicere licet, spiritum asperum tempore currente locum digammatis occupasse; neque infitias ire possumus, multa vocabula, quibus digamma praefixum erat, seriori tempore spiritum asperum prae se ferre. Ad hoc monendum est, Atticos graviorem aspirationem praetulisse leniori. Multis enim vocabulis et eis quoque, quae digammate carebant, aspirationem praemiserunt, quam veteres Graeci, Epici et Jones, spreverunt; cf. ἠέλιος, ἥλιος; ἠώς, ἕως. cf. §. 23. Deinde sonus aspirationis diversus fuisse videtur a nostro h; id quod apparet ex verbis, quae apud Romanos exordium ab s litera faciunt. cf. §. 24. Denique ponamus, signo ʽ indicari digamma in ταῶς, λαῶς, λεῶς, κραῶς, inde tamen ratiocinari non possumus, pronuntiationem digammatis seriori tempore plane respondisse spiritui aspero. Res vero ita se habuisse videtur. Graeci quamcunque vocalem verborum initialem quadam aspiratione proferebant; quod vero ab exordio vocis factum est, id ab exordio syllabarum omnino factum esse credibile est. Syllaba igitur in media voce a vocali incipiens pari modo aspirationem habuit atque syllaba initialis, et grammatici diligentiores aspirationis signum, quod vix majoris momenti est quam syllabarum divisura, adscripserunt. Quin etiam spiritum tenuem appictum invenis in Φίλιππος, Μελάνιππος, Εὐαἰμονίδης. Cf. *Heynii* Observv. ed. Il. V, 76. Quaerenti, cur non potius Φίλἱππος, Μελάνἱππος scribatur, respondendum est, veteres grammaticos statuisse, interaspirationem adjectivis tantum propriam esse; nomina vero propria eam respuere; ergo Φιλίππος et Φίλιππος aut Φίλἱππος. cf. *Lehrs.* de Arist. Stud. Hom. p. 322. *Spitzn.* ad Il. XV, 705. Sed omissam facio rem, qua grammatici oculis potius consuluerunt, quam pronuntiationi, et accedo ad virtutem aspirationis explicandam.

§. 16.

De peculiari virtute aspirationis.

1. Res est notissima: literae ῥ nota asperi spiritus adscribitur duplicique ρ et tenuis et asper, ut ῤῥ in ἐῤῥνόμην. Sin autem duae deinceps insequuntur syllabae exordium a ρ facientes, grammatici recentioris aetatis isti ρ primae syllabae spiritum tenuem addere coeperunt. Analogiam habes in πεφίλημαι pro φεφίλημαι. Hac lege *Hermannus* in Hymno ad Cerer. 450.

εἰς δ' ἄρα Ῥάριον ἷξε

scripsit secundum vetustiora scholia ad Il. I, 56. — Assentitur *I. H. Vossius*, qui autem hunc versum corruptum censens scribere mavult

ἐς Ῥάριον δ' ἵκανε

quod Ῥάρος, unde Ῥάριον, α haberet correptum. *Buttmannus* in Gramm. ampl. I. p. 27., *Hermanni* praecepto adstipulans, Homericam formam ῥερυπωμένα Od. V, 59. cum spiritu tenui ῤερυπωμένα scribi jubet.

2. In compositione duorum vocabulorum, quorum alterum a spiritu aspero incipit, haec aspiratio in nonnullis verbis efficit, ut litera *tenuis*, quae antecedit, etiamsi hanc inter et spiritum litera sonans aut ρ interposita est, in *aspiratam* transmutetur, ut

θοιμάτιον (pallium) ex τὸ ἱμάτιον
φρουρός (custos) ex πρὸ ὁράω
φροίμιον (prooemium) ex πρὸ οἷμιον cf. lat. *prohoemium*. Vide §. 15, 2.
τέθριππον (quadriga) ex τέτρα, τέτταρα ἵππος
θράττω (percutio) ex ταράττω.

In verbo ταράττω per syncopen τράττω, aspiratio quae literae ρ (ῥ) inest, tenuem τ mutavit in θ aspiratam. Vox

φροῦδος (in via, itinere) ex πρὸ ὁδός

in Homericis nondum obvenit, sed singulae voces leguntur Il. IV, 382.

οἳ δ' ἐπεὶ οὖν ᾤχοντο ἰδὲ πρὸ ὁδοῦ ἐγένοντο.

3. Scriptores, ut *Herodotus* et *Harpocrates*, Jones saepius aspirationem sprevisse, nos docent. Lex in dialecto *Attica*: *Spiritus asper antecedentem literam tenuem mutat in aspiratam*, in Grammatica dialecti *jonicae* non constituenda est, ut

Jones ἐπ' ὧτε, ἐπίστημι, κατάπερ, μετιστάναι.
Attici ἐφ' ὧτε, ἐφίστημι, καθάπερ, μεθιστάναι.

Id vero in vocabulorum concursu modo cernitur, dum in declinationis et conjugationis formis literae aspiratae servantur, ut ἐγράφθην, ἐπηλλάχθην.

Annot. Haec aspirationis coarctatio apud *Jones* originem ex oris simplicitate et lenitate videtur duxisse. Pronuntiatio tenuium literarum facilius procedit quam aspiratarum. Incolae septentrionalis Germaniae aeque *pf* proferunt p sive pp, dicentes: *Kopp*, *kloppen*, *Zopp* pro *Kopf*, *klopfen*, *Zopf*. Jones ob recusatam aspirationem a Grammaticis ψιλωταί dicti sunt. Sed quaeritur, annon Jones, quippe qui ἐποςᾶν, μετιστάναι scripserunt, nihilominus pronuntiaverint ἐπόρᾶν, μετίστάναι, i. e. ἐφορᾶν, μεθιστάναι, dummodo signum aspirationis *H* ad alium usum vertebant et isto *H* longum *E*, i. e. η significabant. Cf. *L. Bischof* in libello §. 14 laudato p. 10.

Nonnulla ejusmodi exempla apud poetas epicos obvia veniunt, ut in *Hes.* Theog. 829. 866. ὑπ' Ἡφαίστου
Hom. Hymn. XXVII, 18. ὄπ' ἰεῖσαι.

Apollonius quoque Gramm. de Adverb. p. 562. poetae alicujus epici verba

ὑπ' Ἡφαίστοιο θύρησιν

citat. *Göttlingius* ad *Hes.* l. c. animadvertit, scriptionem ὑπ' Ἡφαίστου pro ὑφ' Ἡφ. vitium esse typographicum in editione *Graevii* et comparavit *Callimach.* Del. 144. ὑφ' Ἡφαίστοιο. Alii scribere voluerunt ὑπ' Ἡφαίστοιο et ὄπ' ἰεῖσαι, spiritu mutato more Epicorum et Jonum. cf. §. 23. Voces Homericae ἐπίστιος (Od. VI, 265.) et αὐτῆμαρ (Il. I, 81.) nulli regulae repugnant, quum apud Homerum reperiatur ἱστίη juxta ἑστίη (vid. §. 20. s. v.) et ἦμαρ juxta ἡμέρη. Formae crasi subnatae
Hes. Theog. 88. τοὔνεκα i. e. τοῦ ἕνεκα attice θοὔνεκα. cf. §. 21. s. v.
Hes. Scut. 559. τὤμισυ i. e. τὸ ἥμισυ attice θὤμισυ cf. §. 22. s. v.

aliam ob causam tenuem retinere poterant, si infra §. 23. recte disputavimus. Vocalis enim crasi sive contractione producta aspirationem molliorem sibi postulat, quae tenuem literam servat.

4. In media quoque voce apud *Homerum* et *Jones*, quos seriores poetae epici secuti sunt, literae deprehenduntur *tenues*, quarum sedem in sermone *Attico* occupaverunt *aspiratae*, ut:

Epici et Jones.	*Attici.*
αὖτις	αὖθις
δέκομαι	δέχομαι
κανταχῇ (*ionice*)	κανταχῇ
τετύκοντο	τεύχω.

Alia vocabula antiquioris linguae, quorum altera syllaba ab aspirata, altera a tenui litera incipit, in lingua *attica* e contrario in prima syllaba habent tenuem et in sequente aspiratam, ut:

Epici et Jones.	*Attici.*
ἐνθαῦτα	ἐνταῦθα
ἐνθεῦτεν	ἐντεῦθεν
κιθών } *ionice.*	χιτών
κύθρη }	χύτρα.

Vocabulum Περσεφόνεια a serioris aetatis Epicis, ut *Apoll.* Rh. II, 916., auctore Orphicorum in Argonauticis et in Hymno XXIV. pronuntiatur Φερσεφόνεια, mutata in aspiratam tenui litera.

5. Singulari commemoratione digna sunt vocabula Homerica τηλεθόων *) et τηλύγετος, quae jure meritoque a radice θάλλω (*floreo*) derivantur.

1) Exordimur a τηλεθόων, participio verbi τηλεθάω, quod a radice θάλλω descendit. Mirum in hoc verbo id est, quod aspirata θ verbi θάλλω in τ mutata est, quamquam una syllaba sequentem aspiratam separat, nimirum τηλεθάω pro θηλεθάω. Quod hoc magis insigne est exemplum, quo plura alia exstant illi τηλεθόων absimilia, ut θαλέθων Il. IX, 467. σύες θαλέθοντες; φθίθω, σχέθω Il. I, 219. σχέθε.

2) τηλύγετος **) veteres grammatici explicant per τῆλε γεινόμενος s. τηλοῦ τῆς ἡλικίας (καταχρηστικῶς). Neutra vero significatio ad Homeri locos in nota **) citatos bene quadrat; accedit Il. XIII, 470. ubi τηλύγετος aperte sensum *mollitiei* s. *effeminationis* exhibet. *Buttmannus* igitur in Lexil. II. p. 198 sqq. locos Homericos comparans inter se, *Orionis* Grammatici in Etymol. Gudian. ed. Sturz. p. 616. explicationem probavit: τηλύγετος, ὁ τελευταῖος τῷ πατρὶ γενόμενος. — Παῖς τηλύγετος ergo esset *filius minimus natu* et hanc ob rem *filius summo parentum amore affectus*. *Buttmannus* vocabulorum τελευταῖος et τηλύγετος hanc cognationem protulit, ut posterius dictum sit pro τελεύγετος, unde mutata syllabarum mensura τηλύγετος. Cujus vero vocabuli aliam eamque probabiliorem expositionem instituit *Ludov. Doederlein* in script. schol. Erlangae 1825; et in Museo Rhenano 1829. III. fasc. I. p. 11. Vir doctissimus radicem habet θάλλω, θαλερός et θῆλυς (*florens*, *femineus*, *effeminatus*). Filius igitur τηλύγετος est is, *qui juventute floreat* aut *molli aetate Apoll.* Rh. I, 99.; quum vero mollitiei saepissime conjuncti sint mores effeminati, παῖς τηλύγετος est filius *imbecillis*. *Eduard. Geist* in disquiss. Homericis IV., III. (in Novis Annall. Lipss. 1832. Supplem. I. fasc. I. p. 612.) in re primaria Doederlinio adstipulans, duplicem tamen vocis

---

*) Il. VI, 148. ὕλη τηλεθόωσα. XXII, 423. παῖδας ἀπέκτανε τηλεθάοντας. XXIII, 123. χαίτην τρέφε τηλεθόωσαν.

**) Il. III, 175. παῖδα τηλυγέτην. V, 153. υἷε τηλυγέτω. IX, 143. 482. Od. IV, 11. παῖδα τηλύγετον.

τηλύγετος notionem primariam θάλλω et θῆλος reprehendens, verbum θαλλω missum facit et θῆλυς modo primariam radicem esse contendit, ita ut τηλύγετος sit ὁ θῆλυς γενόμενος *homo effeminatus, mollis, delicatus* Il. XIII, 470; deinde filius *a parentibus ob nimium amorem mollius educatus*, tum *quem in deliciis habent parentes*; filius *carus*. Cf. *Apoll.* Rh. I, 149. Leda Castorem et Pollucem τηλυγέτους ὠδῖνι μιῇ τέκεν, et Hypsipylam *Apollonius* I, 719. fuisse dicit Θόαντος τηλυγέτην ἐγγεγανῖαν. Equidem in re ambobus viris doctissimis adstipulans, mallem tamen radicem θάλλω unicam habere primariam.

Si vera est haec vocum etymologia a verbo θάλλω instituta, quaeritur, unde venerit tenuis τ pro θ? Doctissime *Doederlinius* V. C. de hac mutatione disputavit, quam explicationem repetere nolumus. Cujus rei tamen hanc equidem potissimum esse puto rationem, quia lingua antiquissima magis aspiratione abstinuit seriore, id quod probant vocabula supra p. 36. allata.

6. Notandus denique est *retrogressus aspirationis*. Verba θάψω, θρέψω, θρύψω, θύψω, ἕξω etc. veram radicem habent

ταφ, τρεφ, τρυφ, τυφ, ἐχ

ut *Boppius* V. Ill. in: Vergleichende Grammatik des Sanskrit, Zend etc. (Berlin 1833. 4.) rationibus ad persuadendum affatim accommodatis exposuit. In lingua enim *sanskritica* nullae inveniuntur radices, quae ab aspiratione incipiunt in eandemque exeunt. Eandem legem in lingua Graeca locum habuisse credibile est. Falluntur igitur grammatici, qui stirpes effingunt

θαφ, θρεφ, θρυφ, θυχ, ἑχ, θριχ (θρίξ, τριχός).

Simul atque enim in declinatione aut conjugatione concursu consonantium aspirata litera opprimitur, ut in

τάψω pro τάφσω   τρέξομαι pro τρέχσομαι
τρύψω pro τρύφσω   τριξί pro τριχσί etc.

aspiratio oppressa retrocedit et renascitur in prima syllaba, ergo:

θάψω, θρέξομαι, θρύψω, θριξί.

Unica quae huic legi repugnat forma legitur in *Herodoto* VI. c. 103. τεθάφαται pro τετάφαται; posteriorem vero *Struvius* in Bibl. crit. ed. Seebode 1828. N. 87. veram et codice optimo comprobatam formam evicit. — Si quis in huic legi contrariam partem afferat formas ἐθάφθην, τεθράφθαι etc., is memor esto, eas defendi altera lege, secundum quam ante syllabas θην, θαι, θήσομαι etc. quaeque litera muta in aspiratam mutatur, ut ἐτύφθην a τυπ. Litera φ igitur in formis ἐτάφθην, ἐτρύφθην hoc loco vix amplius habenda est radicalis, quam potius, ut ita dicam, formalis, ita ut reces-

sus aspiratae radicalis stirpis ταφ, τρυφ in ἐθάφθην, ἐθρύφθην naturae rei conveniens sit.

§. 17.

Recensus vocum, quarum aspiratio in alia dialecto alia facta aut omnino incerta fuerit.

Quum multae voces apud Homerum et ceteros Epicos alium quam apud *Atticos* spiritum prae se ferant et ipsi Epici non semper eundem iisdem vocibus praefigant, quoad a Grammaticis docemur, haud absonum erit, numerum ejusmodi vocum recensere. Quamquam centum fere vocabula enumeraverim, nemini tamen persuadere velim, rem ad liquidum duxisse quam potius attigisse. Plurima, quae in hoc vocum recensu leguntur, ex observationibus criticis VV. DD. *Spitzneri* ad Iliadem et *Göttlingi* ad Hesiodum deprompta sunt. Adde *Wellauer.* ad *Apoll.* Rhod. et *Lehrs.* de Arist. Stud. Hom. p. 345—347.

L i t e r a A.

Ἀγνιάδης et Ἁγνιάδης. De aspirata scriptione cf. *Gesner.* ad *Orph.* Argon. 120. Scriptio mollis Ἀγνιάδης praeferenda videtur, quam vel codex Guelpherbytanus. *Apollonii* Rh. I, 105, 560. et alibi exhibet, quamquam is saepenumero atticas pro ionicis formis scriptas habeat nec non aspirationem frequentet. *Wellauerus* quoque ad Apoll. I, 105. Ἀγνιάδης excudi curavit; sed I, 560. 1296. II, 557. 854., errore sane typographi, Ἁγνιάδης recurrit, ut conjicere licet ex Indice verborum, in quo constanter spiritus lenis praefixus conspicitur.

ἄδε, ἄδειν et ἅδε, ἅδειν vide ἀνδάνω.

ἄδην, ἄδδην et ἅδην (*satis*). De hac triplici forma vide *Heyn.* in Excurs. ad Il. V, 203. Vol. V. p. 173 sqq. Quamquam Grammatici de spiritu non consentiunt, plurimi tamen spiritum *lenem* praeferunt, Alia tradit *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 346., cui vulgo ἅδην receptum fuisse videtur. Cum adverbio ἄδην a radice ΑΔ confer nomen

ἄδος s. ἅδος (*satietas*) Il. XI, 88. De spiritu hujus vocis *Eustath.* aliis locis aliter sentit. cf. p. 833, 11. 792, 36. 893, 47. 1400, 35. *Mollem* spiritum jam *Aristarchus* adscripsit. cf. *Favorin.* 37, 50 sq. *Hesych.* I, 98. Spiritum *asperum* dederunt *Schol.* et *Etym. M.* 420, 37. Contra *Buttmannum* in Lexil. II, p. 134., qui Il. XI, 88. pro μακρά, ἄδος cum *Heynio* μάκρ', ἅδος scribere vult, vide *Spitzn.* ad Il. l. c.

ἁδροσύνη (*spissitas*). *Hes.* Opp. 473. ed. *Aldina* ἀδρο-

σύνη, quod *ionici* moris esset, *Göttlingius* autem in Hes. sprevit cum aliis ἄδρ. recipiens.

ἀθρόος (*congregatus*). Ita Homerus Il. II, 439. Hymn. in Apoll. 152. et Epici. *Aristarchus* quidem et *Ptolem.* Ascal. Il. XIII, 38. aspirationi patrocinantur; *Spitznerus* tamen grammaticorum praestantissimorum documentis adjutus recte spiritum lenem defendit. Cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 346 sq. Seriores Graeci, ut Attici, juxta ἀθρόος etiam ἁθρόος proferebant.

αἴμων i. q. ἔμπειρος, δαήμων, δαίμων (*peritus*). Il. V, 49. αἵμονα θήρης. Spiritum *asperum* servant *Etym. M.* 35, 21. *Apollon.* Lex. Hom. 54. *Etym. Orion.* 5, 24. Sibi repugnans *Etym. M.* 251, 13. locum Homeri αἴμονα θήρης citat. Saepius autem in libris scriptis αἴμων et αἵμων promiscue deprehenditur, atque item

Αἱμονίδης et Αἰμονίδην Il. XVII, 467., quo loco omnes libri et scripti et editi spir. *tenuem* appinxerunt. *Ed. Geist.* disqq. Homm. IV, 1. putat, radicem esse ἀΐω *audio, sentio, intelligo*; unde αἴμων *prudens, peritus.* Praeferrem igitur cum *Wolfio* mollem spiritum, ita ut αἴμων *prudens* discernatur ab αἵμων *cruentus, sanguinolentus.* cf. Eurip. Hecab. 90. ed. *Pflugk*; inde *Wolfii* Αἱμονίδης descenderet ab αἵμων. Cfr. etiam §. 23. Denique

Αἱμονίη et Αἰμονίη (*Thessalia*) *Apoll.* Rh. II, 506. 690. III, 1090 etc. In libris scriptis plerumque Αἱμονίη legitur; scholiasta autem ad II, 506. scripsit Αἰμονίης· τῆς Θεσσαλίας, ἀπὸ Αἵμονος, υἱοῦ Ἄρεως. Saepius Scholia ad Apollonium spiritum lenem exhibent, libris MMSS. aspirationem constanter servantibus. cf. Ἄλυς, scholia Ἅλυς ad II, 366. 370. 963.

Ἀλήϊον πεδίον Il. VI, 201. grammaticorum pars Ἁλήϊον, quae aspiratio ex diversa etymologia originem duxit. Homeri verba:

κὰπ πεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο

veram stirpem satis ostendunt, et sine causa alii campum Ἁλήϊον vocatum censent ἀπὸ τοῦ τοὺς ἅλας ἐκεῖ πήγνυσθαι. Vide *Spitzn.* ad Hom. l. c.

ἀλῆναι, aor. ἐάλην et ἁλῆναι, ἑάλην. cf. *Spitzn.* ad Il. XVI, 714. Hoc *Jonum* et *Epicorum* est, illud *Atticorum.* Vide *Buttm.* Lexil. II, p. 158. Pari modo ἀλείς scribendum est pro ἁλείς, quod Il. XVI, 403. schol. *Venet.* et *Eustath.* p. 1067, 99. et editt. antiquiss. exhibent.

Ἀλκυόνη, ἀλκυών Il. IX, 562 sq. *Jonum* fuisse *Eustath.* 776, 41. *Lexic.* περὶ πνευμ. p. 209. ed. Valcken. memoriae produnt. Ἁλκυόνη, Ceycis regis uxor, et ἁλκυόνες, avium genus, *Atticorum* fuit. *Spitzn.* ad Hom. l. c.

ἅλλομαι (*salio*), unde Homericum ἆλσο, ἐπᾶλτο Il. XXI,

140; tamen ἄλμα (*saltus*) Od. VIII, 103. 128. Cur ἄλτο *molliorem* spiritum acceperit in §. 23. declaratur.

Ἄλυς et Ἅλυς *Apollon.* Rh. II, 366. et saepius. Libri manuscripti Ἅλυς, scholia Ἅλυς tradunt. cf. s. v. *Αἱμονίη* fine.

ἅμα (*una cum*) et apud Epicos et Atticos aspirationem duriorem servat. Ab ἅμα descendit ἅμυδις, quod *Nicias* et *Pamphil.* Il. IX, 6. cf. XII, 385. tuentur, ex *Aristarchi* praeceptis *leni* instruxerunt spiritu ἄμυδις *Ptolemaeus Ascalon.* et *Alexion*, assentientibus *Etym. M.* 87, 13. 529, 56. *Apoll.* Lex. Hom. 97. et spir. lenem probat Il. XII, 385. πάντ' ἄμυδις. Vocis originem ab Aeolica dialecto repetunt. *Eustath.* 732, 20. *Lexicon* περὶ πνευμάτ. p. 210. ed. Valcken., quod etiam ἄμμυδις exhibet. *Spitznerus* ad Il. IX, 6. vitiose ἄμμυδις scriptum esse censet.

ἅμαξα et ἄμαξα (*plaustrum*). *Homero* ἅμαξα vindicandum erit omnibus in locis, quibus vocabulum obvium fit. cf. Il. VII, 426. ibid. *Spitzn.* XII, 448. XVIII, 487. XXIV, 179. κατ' ἁμαξιτόν. XXII, 146. et alibi. Cf. *Eustath.* p. 913, 47. Apud *Hesiodum*, cujus carmina seriori tempore permulto interpolata sunt, vix aliquid certi constituere licet (codices optimi modo ἄμαξα, modo ἅμαξα scriptum habent), nisi quis pro lubitu hanc alteramve scriptionem Hesiodeis constanter injungere velit, quod *Göttlingius* fecisse nobis videtur (cf. *Hes.* Opp. 426. 453. 455 sq.), qui asperum, contra *Spohnium* spiritum molliorem praeferentem, restituit.

ἀμιτροχίτων et ἁμιτροχίτων Il. XVI, 419. Grammatici, qui ἀμιτροχίτων reddunt ἄζωστος, α putant privativum et lenem spiritum adscribunt; qui ἁμιτροχίτων, i. e. ἅμα θώρακι συνηρτημένην ἔχων μίτραν, cum ἅμα compositum censent, spiritum asperum praefigunt. Recte quidem hanc vocis commissuram statuunt, sed composita ex ἅμα spiritum mutant. cf. §. 23, 3. et scribendum est ἀμιτροχίτων. cf. *Etym. M.* 83, 52. *Apoll.* in Lex. H. 102., quos laudat *Spitzn.* ad Iliad. l. c.

ἄμμε, ἄμμι formae *aeolicae* aspirationem recusant, quae inhaeret formis ἡμέας, ἡμῖν. cf. ἅμα et ἅμυδις.

Ἀμοπάων Il. VIII, 276. *Stephan.* ed. Rom. et *Eustath.* 712, 52. scripserunt Ἁμοπάων. Spiritui aspero repugnat *Venetus*; etiam vocibus cum ἅμα compositis aut ex hoc adverbio ortis usitatior est spiritus lenis. cf. ἄμυδις, ἄμαχις, ἄμαξα i. e. ἅμα ἄγειν.

ἀμός et ἁμός (*noster*). Hucusque in editt. Homeri ἀμός, i. e. ἡμέτερος receptum est, consentientibus pluribus grammaticis. Cf. in edit. *Wolfii* Il. VI, 414. VIII, 178. X, 448. XIII, 96. quo loco *Heynius* aspirationem probavit. XVI,

330. *Spitznerus* nuper rem diligentius pervestigavit et testibus *Apollonio* de pronom. 402. et *Etym. M.* 79, 27. 84, 48. adde Eustath. 1089, 12. formam ἁμός *doricam* spiritu aspero pronuntiandam esse docuit. cf. *Spitzn.* ad Il. VI, 414. et XIII, 96. Equidem libenter concedo, eos errasse, qui ἁμός ex ἐμός originem traxisse sibi viderentur, cf. *Schol.* ad Il. VI, 414. et *Brunck.* ad Eurip. Androm. 1171.) et ἁμέτερος, κατὰ συγκοπὴν ἁμός, ἡμέτερος Δωρικῶς esse cum *Etymologici M.* auctore consentio. Nihilo secius cum iis fecerim, qui spiritum molliorem praeferant, quum ἀμός Homericis aptius sit quam ἁμός. Formae mutatae in dialectis aspirationem mutant, et Epici maxime molliorem spiritum vocabulis praefigunt, quae a vocali longa sive diphthongo incipiunt. cf. §. 23. Num ἀμός scribendum sit ἀμμός? ex ἁμός, ut ἄμμι ex ἡμῖν, ὕμμι-ὑμῖν ad normam aeolicae dialecti, incertum relinquo. Cf. *Buttmann.* in Gramm. ampl. I. p. 298. nota *).

ἄμυδις vide ἅμα.

ἁνδάνω (*placeo*) unde εὔαδε-ἕαδε Il. XIV, 340. Omnino formis hujus verbi, imprimis aoristo secundo, grammatici modo lenem modo asperum spiritum adscribunt. *Eustathius* formam ἅδε tamquam aeolicam tuetur cf. ad Il. p. 893. 43. 897, 43. (ad Il. XII, 8), p. 958, 39; sic etiam ἁδεῖν p. 400, 13. ad Il. III, 173. scripsit, sibi autem, ut *Spitzn.* l. c. docet, non constans est. Eustathium secuti sunt *Phavorin.* 13, 18. *Hesych.* I, 87. Alii spir. asperum comprobant, ut *Etym. M.* 16, 37. 39. 18, 3. *Apollon.* Lex. Hom. p. 35. de adv. 557, 25. — Homericis εὔαδε, quod Ionicae linguae convenit, reddendum est (cf. §. 28.), et lenem spiritum praefixerunt *Ptolem.* Ascal. et *Eustath.* ad Il. p. 990. 36. cf. *Etym. M.* 338, 23.

ἀπτοεπής et ἁπτοεπής Il. VIII, 209. Diversa aspiratio subnascitur ex diversa etymologia, ἅπτω-ἔπος aut ἀ-πτοέω-ἔπος. Illud ἁπτοεπής habet *Eustath.* 709, 8. et probaverunt *Stephan. Heyn.*; hoc ἀπτοεπής praetulit *Aristarchus*, *Apoll.* Lex. Hom. 152. ib. Tollius. *Etym. M.* 133, 44.

ἄρθεν et ἄρσαντες a verbo ἄρω, ἀραρίσκω (*adapto*, *compingo*) Il. I, 136. XVI, 211. cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 346. *Aristarchus* aspiravit, ἅρθεν, ἅρσαντες, ne ab αἴρω (*tollo*) profectae videantur hae formae. Cujus causae, quum speciosa magis quam vera et gravis esset, alii grammatici merito rationem non habuerunt.

αὔϊαχος et αὐΐαχος Il. XIII, 41. Illud usu sancitum est; hoc patronos habet *Dionys.* Thrac. et *Chrysipp.* Stoic., quasi ex αὖος et ἰάχω subnatum. Ceterum de vocis etymologia cf. §. 4. pag. 14.

αὖος et αὗος Il. XII, 137. XIII, 441. *Eustath.* ad Il.

XXIII, p. 941, 22. et p. 1304 sq. *Atticorum* αὖος esse tradit; αὖος *Jonum* est. Cf. *Etym. M.* 174, 34. Vide εὔρμαι §. 18.

αὕτως et αὔτως. Illud *jonicum* defendit *Etym. M.* Schol. *Venet.* et *aeolicum Eustath.* ad Il. II, 120. 342. III, 220. et nostra aetate *Wolfius*, *Hermannus* de pronom. αὐτός p. 73 sqq., quibus obsecutus est *Spitznerus* ad Il. I, 133. Codex *Venetus* semper spiritum asperum adverbio praefixit αὕτως, et *Draco* de metr. poet. 43, 22. verba Il. III, 220. ita citat: ἄφρονα θ' αὕτως. Recentioribus *Dammius* Lexic. Hom., *Heynius* Observv. ad Il. III, 220. et *Buttmannus* in Lexil. I. p. 34—41. aspirationem defenderunt. *Buttm.* l. c. inter αὔτως et αὕτως notionis discrimen statuit, quod pusillum aut nullum est. Il. I, 520. V, 255. IX, 599. X, 50 et alibi αὔτως receptum reperitur, quibus in locis *Buttm.* αὕτως conjecit, et Il. IV, 17. quem locum l. c. p. 39. exposuit, nunc

εἰ δ' αὖ πως τόδε πᾶσι φίλον καὶ ἡδὺ γένοιτο

legitur, quod Aristarchus praebuit. Item VI, 55. ubi *Wolfius* αὔτως cum *Eustathio* scripserat, *Spitznerus* οὕτως in textum recepit. cf. XIII, 447. quo loco idem *Aristarchi* judicio motus οὕτως vulgari αὔτως praetulit, et pari modo *Apoll.* Rh. II, 1108. cum codice *Vatic.* C. οὕτως scribendum erit pro αὔτως, quod dedit *Wellauerus*, vel pro αὐτήν, quod *Brunckius* conjecerat. Homericis ubique αὔτως restituendum est. Aliam amplecti licet sententiam de usu αὔτως s. αὕτως apud poetas recentioris aetatis, ut *Apollonium*, *Nonnum*, *Quintum Sm.* etc., qui dialecto attica corrupti aspirationem frequenter praetulerunt. *Wellauerus* igitur recte spiritum servavit Apollon. I, 400. 642 etc. Vide ejusdem indicem verborum s. v. αὕτως. Codices tamen hic illic fluctuant, quare *Brunckius* modo αὔτως modo αὕτως scripsit.

ἀφάω et ἁφάω Il. VI, 322. ἀφόωντα vulgo, et spiritum asperum amplexi sunt *Eustath.* et *Phavorin.* 334, 31. *Spitznerus* in edit. Il. ἁφόωντα recepit, quod suaserunt codices *Venet.* et Vindobonn., *Apoll.* Lex. Hom. 183. *Zonar.* 358. *Hesych.* I, 648. Huc lex pertinere videtur, qua stirps non ab aspiratione incipere et una in aspirationem exire debet. cf. §. 16, 6. pag. 38.

ἀψίς et ἁψίς; hoc vulgo. cf. Il. V, 487. *Hes.* Opp. 426. *Göttlingius* ad *Hes.* l. c. spiritum aeolicum ἀψίς restituit propter aeolicam declinationem accusativi ἄψιν pro ἀψῖδα. Cfr. *Choeroboso.* apud Bekk. Anecdott. p. 1207. *Spitznerus* in Il. V, 487 Göttlingio assentitur. De diversa potestate hujus vocis apud Homerum et Hesiodum monet *Ed. Geist.*

in disqq. Homer. IV, 1. (in Lipss. Annal. phill. et paedd. 1882. Suppl. I. fasc. IV. p. 608.).

§. 18.

Litera E.

ἑάλη et ἐάλη. Codices fluctuant. Cf. *Spitzn.* ad Il. XIII, 408. Pro diversa origine, cui interpretes faverunt, diverso modo acuerunt. *Eustath.* ad l. c. p. 939, 49. ἑάλην aoristum passivi stirpis εἴλον esse demonstrat, cui adstipulati sunt *Phavorin.* 544, 5. et *Damm.* in Lex. Hom. p. 72. *Buttmannus* autem in Lexil. II, 145. et gramm. ampl. tom. II, p. 120. formam ab εἰλέω descendere satis scite argumentatur. Recentissimi igitur Homeri editores spiritum lenem appinxerunt.

ἑάφθη et ἐάφθη Il. XIII, 543. Spiritum asperum jam Aristarchus dedit et Venetus et codd. praestantiores praebent; qua re *Spitznerus* ἑάφθη recte recepit. *Wolfius*, cui obtemperavit *Bothius*, lenem aspirationem praefixit, cui codd. Vindobonn. et edit. Aldin. sec. patrocinantur. *Aristarchus* hujus formae etymon ἕπομαι sumpsit. Cf. *Buttm.* Lexil. II, 140. *Lehrs.* de Arist. stud. p. 346.

ἔεδνα et ἕεδνα (*munera sponsalia*). Forma longior ἔεδνα semper *molli* spiritu instruenda est, forma ἕδνα *aspero*: ἕδνα = ϝέδνα, unde cum praeposita ε vocali ἔϝεδνα (cf. ἐέρση). Sic ἑεδνωτής vulgo. cf. *Arcad.* de acc. p. 26, 8. *Etym. M.* 435. *Eustath.* 938, 12. *Hesych.* I, 1088. Perverse *Tyrannio* Il. XIII, 382. ἑεδνῶται aspiravit et βαρυτόνως acuit.

ἐέρση et ἑέρσην (*ros*) (cf. ἔεδνα). Recte *Spitznerus* ad Il. XI, 53. cum plerisque libris spiritum lenem voci ἐέρση addit; in indice *Wellaueri* ad *Apoll.* Rhod. s. v. ἑέρση errore potius typothetae quam consulto ἑέρση scriptum videtur, quum in textu III, 1020 recte ἐέρση expressum sit. De ambiguo hujus vocis spiritu cf. *Lexic.* περὶ πνευμ. p. 215, ed. Valcken. *Etym. M.* 317, 48. *Eustath.* ad Il. XI, 53. p. 830, 17. cf. 991. 21. Forma bisyllaba ἕρση et ἑρσήεις aspiratur. cf. Il. XXIV, 757. *Apoll.* Rh. I, 751, 881. II, 1004 etc.

ἑῆος et ἐῆος genit. i. q. ἀγαθοῦ. In hac forma grammatici veteres et recentiores summopere haeserunt; apprime vero ob confusionem vocabuli ἑῆος cum ἑοῖο pronomine. Quod ad spiritum attinet, *Buttmannus* spiritus *lenis* patrocinium suscepit. Cf. Lexil. I, p. 85—92. ubi loci Homerici et scholiastarum, lexicographorum et grammaticorum sententiae leguntur. *Thierschius* Gr. Gr. §. 200, 12. locos, quibus ἑῆος inest, recensens, ἑῆος (i. q. ἑοῖο) ex Homericis proscriben-

dum censet. Ib. XIII, 9. *Spitznerus* ἑοῖο defendit et in animadversione ad Il. I, 393. et ἑῆος et ἑοῖο Homerici sermonis usu probans, cum *Wolfio* ἑῆος servavit, nec non XV, 138, quo *Zenodotus* ἑοῖο legit. Cf. etiam *Heyn.* ad Il. I, 393. et *Wellauerum* ad *Apoll.* Rh. I, 225. qui πατρὸς ἑῆος pro ἑοῖο, quod *Brunck.* et *Beck.* receperunt, textui reddidit. At enim vero haec forma ἑῆος semel tantum in toto carmine obvenit, saepe contra πατρὸς ἑοῖο. Cf. I, 667. II, 475. 656 etc. vide indic. Wellaueri ad Apoll. s. v. ἑός. Accedit quod codex Guelpherbyt. ἑοῖο tuetur. Cum *Brunckio* igitur et *Gerhardo* Lectt. Apoll. p. 93 sq. ἑοῖο retinuerim et ἑοῖο *sui*, nec *tui*, ut Gerhardus putat, significare contenderim.

εἰαμενή et εἱαμενή. Spiritum *lenem* tuetur *Eustath.* 501, 8. ad Il. IV, 483. cf. p. 1035, 16. 1046, 47. et editores Homeri vulgo receperunt. Nuper *Spitznerus* seriores poetas *Apoll.* Rh. II, 795. 818. III, 1202. 1220. IV, 316. *Callim.* in Dian. 193. comparans, qui εἱαμενή proferunt, quod defendit Schol. *Venet.* A. ad Il. IV, 483. XV, 631., spiritum *asperum* reduxit. Sed vereor, ut id recte fecerit. *Buttmanni* quidem etymologiam vocis εἱαμενή ab ἠϊὼν (Lexil. II, p. 24.) cum *Spitznero* haud probo; sed alia probabilior fortasse dari potest, quae spiritum lenem defendit. Vox εἰαμενή, ut mihi videtur, descendit a radice ὕει (*pluit*), et sicut ὕδωρ olim ϝύδωρ (cf. §. 3. pag. 11.) transiit in ἱδρώς (*sudor*), ita ὕει, ϝύει in ϝίει; unde ϝιαμενή est *locus, quo aqua pluvia stagnat;* ex ϝιαμενή more epico factum est εἰαμενή. Schol. ad *Apollon.* Rh. II, 795. εἰαμενὰς δὲ λέγει τοὺς καθύγρους τόπους, et Schol. *Paris.* scripsit ὑαμενάς. Omnes loci, in quibus εἰαμενή obvium venit, notionem regionis paludosae exhibent, quae opponitur fluviis s. mari. *Demosthenes* poeta: εἰαμενὴ δὲ καὶ οὐ βάθος ἐστὶ θαλάσσης et Il. XV, 631. βόες, αἵ ῥα τ' ἐν εἰαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο νέμονται. Ergo εἰαμενήν regionem intelligamus necesse est, quae aqua pluvia facile inundatur, quae tamen non semper stagni instar paludosa est, sed solis caloribus exsiccata herbas et arbores alit, ita ut greges ibi pasci Il. XV, 631. *Apoll.* Rh. IV, 316. aut apri latere (ib. II, 818.) et hujus regionis nymphae nominari possint ἑλειονόμοι (ib. 821). *Apoll.* II, 822. εἰαμενή dicitur τῖφος.

εἶλαρ et εἷλαρ (*munimentum*) Od. V, 257. Nemo hodie dubitat, quin εἶλαρ vera sit scriptio. εἷλαρ praebent edit. *Aldin. sec.* et all. Il. XIII, 56. cf. *Spitzn.* ad h. l.

εἰλίποδες et εἱλίποδες vide ἑλίσσω.

εἰλύω, εἰλυμένος, εἰλύαται vide ἑλίσσω.

ἕκηλος semper aspirationem habet, sed forma εὔκηλος i. e. ἔϝκηλος (vide supra p. 20.) aspiratione caret.

Ἐλάρη et Ἑλάρη (*mater Tityi*) *Apoll.* I, 762. Ἐλάρη

omnes codices scriptum habent, *Beckius* in edit. Apoll. unicus aspirationem praefixit.

ἐλεοθρεπτός et **ἑλεοθρεπτός** Il. II, 776. Spiritum lenem omnes libri praebent; sed *Etym. M.* 316, 44. 709, 28. et *Orion.* 545, 8. aspirationem duriorem appinxerunt; quod errore factum *Spitznero* ad Il. l. c. videtur.

ἐλεός et **ἑλεός**. *Etym. M.* 298, 34. ἑλεός a stirpe ἑλεῖν s. ἕλος repetens, aspiravit; alii ἀπὸ ἐλαΐνων ξύλων ἐλεόν deducentes cf. *Hesych.* I, 1171. spiritum *lenem* praefigunt, quem usus sanxit. Vide *Spitzn.* ad Il. IX, 215, qui grammaticorum locos collegit.

Ἐλεών (urbs Boeotiae). *Ptolemaeus* Ascal. (Herodiano teste ad Il. X, 266. cujus verba leguntur apud *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 272 sq.) Eleonem aliam urbem esse intelligendam Il. II, 500, aliam Il. X, 266. in ultimo igitur loco Ἑλεῶνος scripsit; nulla de necessitate. Cfr. Strabo IX, 670. C.

ἐλίσσω et **ἑλίσσω**. Formae hujus verbi ab ε incipientes semper spiritu aspero instruendae sunt; cfr. *Lexic.* περὶ πνευμ. p. 217. ed. Valcken. *Eustath.* p. 892, 23. Alii imprimis codex *Venetus* ἐλίσσω et ἑλίσσω, ἐλίκωπες et ἑλίκωπες promiscue tradit, ἑλίξας et ἑλιξάμενος semper spiritu leni instruit. Il. XII, 408. 467. XIII, 204 etc. cf. *Spitzn.* ad Il. XII, 408. et XV, 569. qui recte aspirationem defendit. Formae autem stirpis ἕλιξ ab exordio productae in ει recte spiritum tenuem praefigunt; ex. c. εἱλίποδες (cf. *Eustath.* ad Il. p. 1072, 12.) nec εἰλίποδες, quod Atticorum est; ita εἰλύω *Spitzn.* ad Il. XII, 286, εἰλυμένος, εἰλύαται etc. non εἱλύω etc. cf. §. 23.

Ἐνετή et **Ἑνετή** Il. II, 852. et Ἐνετήϊος *Apoll.* Rh. II, 358. Jonum est mollior, Atticorum durior aspiratio. Cfr. *Strabo* XIII, 819. A. cum V, 325. A. *Hermann.* ad Orphic. p. 705. voluit *Apoll.* Rh. II, 358. τοῖσιν θ' Ἑνετήϊος pro τοῖσιν Ἐνετήϊος i. e. Ϝενετήϊος. Cfr. *Gerhard.* Lect. Apoll. p. 124.

ἕννυμι (*induo vestem*) semper spiritum habet; sed hujus stirpis derivata, ut ἐσθος, ἐσθής aspirationem respuunt; compara εἷμα, nunquam εἶμα.

ἕπομαι (*sequor*) cum spiritu aspero, unde ἑσπόσμην; contra ἔσπον cf. ἔσχον ab ἔχω. *Buttmann.* Gramm. ampl. II. p. 129. illud σ ex spiritu aspero subnatum esse putat. cfr. §. 24.

ἔρδειν et **ἕρδειν** (*facere, sacra facere*). Homericis semper ἔρδειν restituendum est, etsi nonnulli codices ἕρδειν praebeant: *Etym. M.* 149. 44. 370, 18. Atticorum autem esse ἕρδειν, ab etymo ῥέζειν, satis constat. cf. *Spitznerus* ad Il. I, 315.

ἔτης Vulgo; *Alexioni* placuit ἕτης cf. *Herodian.* ad Il. VI, 239. et *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 345.

ἕαδον et **εὕαδον** cf. ἁνδάνω §. 17.

εὔομαι et ἕὔομαι unde εὔστρα et εὗστρα. Haec verba ejusdem stirpis sunt, cujus αὔω, αὔομαι attice αὕω, αὕομαι. *Eustath.* 1446, 20. hoc respiciens, in Homericis quoque aspirationem constituit, eique adstipulatur *Etym. M.* 352, 8. *Spitznerus* ad Il. IX, 468. hos duces sequens, cum *Wolfio* εὕομαι scripsit. Litem autem non satis composuit; εὕομαι et αὕω Atticorum, εὔομαι et αὔω Jonum est et Homero reddendum. Αὔω et εὔω natum est ex ἄϜω, ἔϜω; et voces, quarum vocalis ab exordio cum digammate in unam diphthongum colliquescit, semper fere mollem spiritum sibi adsciscunt. cf. §. 24. Miror igitur, si *Spitznerus*, qui Il. XII, 137. bene αὖος pro αὖος recepit, εὐόμενοι praestantius habuit quam εὐόμενοι. Vide §. 17. s. v. αὖος.

§. 19.

Litera H.

Ἠέλιος attice ἥλιος (*sol*). Ultima vox etiam occurrit Od. VIII, 271. sine alio exemplo. *J. H. Vossius* ad Hymn. in Cer. 348. pronomen σφε proscribens proposuit:

Ἠέλιος, ὅ νόησε μιγαζομένους φιλότητι.

Sine dubio hic versus spurius est, ut multi alii octavae rhapsodiae. Cfr. *Nitzschii* judicium ab initio commentarii ad h. rhaps. tom. II. p. 167. Hymni Homerici, qui seriori aetati adscribendi sunt, saepius Ἡλίου obferunt, ut Hymn. XI, v. 1. (cf. v. 7). Sic *Orph.* Lith. XVIII, 60.

ἤϊος et ἠϊος *Apollinis epitheton*; alias ἰήϊος, pro varia etymologia vario modo aspiratur. *Aristarchus* (cf. *Herodian.* schol. ad Il. XV, 365. Verba leguntur apud *Lehrs.* de Arist. p. 345.) qui vocem descendere ab ἱέναι *jaculari* autumatus, ἥϊος scripsit; alii ab ἰέναι *ire*, alii ut *Crates* ab ἰάω *medeor*, aut ἰή interjectione derivantes ἤϊος scripserunt. Nostri grammatici ἠϊος ex ἠὼς ortum volunt, quae etymologia omnium verisimillima videtur. Cf. *Spitzn.* ad Il. XV, 365. *Frank.* ad Hymn. in *Apoll.* Del. 120. Nunc vulgo ἤϊος, nec falso, receptum legitur.

ἦμαρ ionicum, ἡμέρα atticum; ab ἦμαρ factum est αὐτῆμαρ.

ἠώς et ἕως (*aurora*); hoc atticum, nec tamen Homero incognitum; cf. ἑωσφόρος apud Epicos. De origine vocis ἠώς pro ἔϜως vide supra §. 4. p. 17. De mutato spiritu §. 23.

§. 20.

Litera I.

Ἰαμενός et Ἱαμενός Il. XII, 139. Spiritus diversus pro diversa etymologia appingitur, sive a stirpe ἰᾶσθαι sive ab ἱέναι. Homero Ἰαμενός vindicavit *Aristarchus*, ut docet auctor *Etym. M.* 463, 31. Cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 347.

ἱεμένων et *ἱεμένων* *Hes.* Scut. 65. *Göttlingius* (cf. ejus notam ad Aristot. Polit. p. 382.) aspirationem recepit cum *Boissonadio*. Ἵπποι ἱέμενοι essent *equi incedentes, progredientes*; ἵπποι ἱέμενοι sunt *equi celeri impetu currentes, concitati* aut *admissi*, ut Caesar dixit in B. G. I, 22. „Considius equo *admisso* accurrit." Cf. *Apoll.* II, 73. ἱεμένου κλύδωνος. Il. XIII, 291. ἱεμένοιο, libri meliores; olim ἰεμένοιο.

ἴκελος et ἴκελος (*similis*). Hoc in editt. antiquiss. reperitur; libri scripti lenem spiritum omnes ac singuli praebent.

ἴκμενος et ἴκμενος. Ab ἱκνέομαι esset ἴκμενος *secundus, faustus* Od. II, 420. ἄνεμος ἴκμενος, et aspirationem requireret. Alii melius ἴκμενος descendere faciunt ab ἰκμάζω, ἰκμάς, unde ἄνεμος ἴκμενος *ventus humidus*, quem *Nitzsch.* ad Od. l. c. intelligit *lubricum, dulci et aequo flatu spirantem.* Unde Ζεὺς Ἰκμαῖος apud *Apoll.* Rh. II, 522. ibid. Schol. ἕνεκα τῆς ἰκμάδος· ἐπεὶ αἴτιος γέγονε τῆς πνοιῆς τῶν ἀνέμων.

ἱρεύς et ἰρεύς (*sacerdos*). Illud usu sancitum est, hoc ἰρεύς *Jonicus* recepit Il. V, 10. teste *Eustathio* ad Od. 1623, 61. Cfr. *Gregor.* Cor. de dial. Jonica p. 457. *Etym. M.* 461, 8. *Lexic.* περὶ πνευμ. p. 229. ed. Valcken.

Ἵρη et Ἴρη, *urbs Messeniae*, postea *Abia* dicta. *Pausan.* Mess. c. XXX, 1. — Quod ad spiritum adtinet *Eustath.* 743, 13. aspirationem, quam vulgo praefigunt, renuens Ἴρην. Il. IX, 150. scripsit. De accentu vide §. 26.

ἴρηξ et ἴρηξ (i. e. ἱέραξ *accipiter*) Il. XIII, 819. Hes. Opp. 203. Illud *Jonum*, hoc *Atticorum* est. Codices fluctuant quidem; at cf. *Eustath.* 916, 37. τὸ ἰρήκων ψιλοῦται Ἰωνικῶς, καθὰ καὶ τὸ ἱερεύς. *Eustath.* 1014, 29. *Schaefer.* ad Gregor. Corinth. 475.

ἱστίη et ἱστίη, unde ἐπίστιον, quod *Aristarch.* (cf. Venet. ad Od. II, 125.) et *Eustath.* ex recentiori Jonismo explicant ἐφέστιον. At recte *Nitzsch.* ad Od. VI, 265. discrimen inter ἐπίστιον et ἐφέστιον hoc fecit, ut ἐπίστιον, quomodo ipse *Eustath.* rem exponit, *navium subgrundium* significaret (λέγεται δὲ τὸ ἐπίστιον καὶ νεώριον, καὶ νεών) et ἐφέστιον *peculiare, proprium, domesticum.* Mirum quoque re vera esset, cur Homerus modo ἐφέστιον, modo ἐπίστιον dixisset, nisi discrepantia facultatis subesset. Ἱστίη nom. propr. (Hymn. in *Vest.* 1.) *Matthiae* in edit. hymn. Hom. p. 149. Ἰστίη scripsit.

§. 21.

L i t e r a O.

Ὀδίος et Ὁδίος, *dux Halizonum* Il. II, 856. V, 39. IX, 170. *Eustath.* in aspiratione sibi non constans est. Cum *Wolfio* et *Spitznero* lenis spir. servandus erit.

ὁ δός (*via*), unde forma diducta οὖδος, mutato spiritu. Cf. §. 23.

Ὀλμειός et Ὁλμειός *fons Heliconis*. *Göttling*. ad *Hes.* Theog. 6. praetulit Ὁλμειός, tradit autem Ὀλμειός ab Aeolibus barytonicis dictum esse. Cf. *Nonni* Dionys. VII, 236. ἠ ῥόον Ὀλμειοῖο. Strab. IX, p. 264. ὁ Ὀλμειὸς ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος. Spiritum molliorem de mea sententia praetulerim, quippe quem seriores ipsi scriptores servaverunt.

ὄλμος (*truncus*) *Hes.* Opp. 423. Cod. *Paris.* ὅλμος. Minus recte. cf. Il. XI, 147.

ὅλος (*totus*, *solus* cf. §. 24. s. v.), unde οὖλος (*crispus*), mutato spiritu §. 23. De hac voce cf. *Nitzsch.* ad Od. I, 52. *Buttm.* in Lexil. I, p. 183 sq. ab ἑλεῖν, εἰλεῖν. cf. Lexil. II, pag. 158.

ὀλοοίτροχος et ὁλοοίτροχος Il. XIII, 137. pro varia origine, quae sumitur, vario accentu insigniendum vocabulum; quod qui cum ὀλοός (*perniciosus*) conflatum putant, *lenem*, contra cum ὅλος (*totus*) *asperum* spiritum appingunt. Jam veteres grammatici de vera etymologia inter se discrepant. In editionibus Homeri hucusque ὀλοοίτροχος legebatur; *Spitznerus*, quem ad Il. l. c. conferas, *Veneto* schol. et scriptoribus Homero sequioribus, ut Herodoto, Xenophonte et Zosimo, obtemperans, aspirationem praetulit et ὁλοοίτροχος in textum recepit. *Nitzschius* ad Od. I, 52. de voce ὀλοόφρων disserens, nostri ὁλοοίτροχος meminit, et interpretatus *Vollrad* i. e. rota sine radiis, etymologiae ὅλος τρόχος una cum *Spitznero* patrocinatur.

ὀμίχλη et ὁμίχλη. Ultimam formam praebet *Venetus* Il. III, 10. XIII, 336. XVII, 649., *Eustath.* vero p. 1121, 38. et *Etym. M.* 624, 14. spiritum lenem Jonum et Aeolum fuisse ostendunt. Cf. *Spitzn.* ad Il. III, 10. fine.

ὀμοκλή et ὁμοκλή. *Hes.* Scut. 341. Illud Jonum, hoc Atticorum fuit.

ὄπατρος et ὅπατρος i. e. ὁμόπατρος Il. XII, 341. Origine nominis inducti nonnulli aspiraverunt ὅπατρος. Falso. Cfr. *Eustath.* 843, 9. *Etym. M.* 627, 33. *Lexic.* περὶ πνευμ. p. 233 sq. ed. Valcken. cf. etiam §. 23, 3.

ὅτριχες Il. II, 765. i. e. ὁμότριχες. cf. ὄπατρος.

Ὀρμενίδης Il. X, 266. non Ὁρμενίδης, quod errore irreptum, in libris nonnullis reperitur.

ὅρος (*finis*), unde οὖρος, ἀπούρας Il. I, 356. *Apoll.* Rh. IV, 1433. Cf. §. 23, 2.

οὕνεκα, unde τοὔνεκα pro θοὔνεκα cf. supra §. 16. p. 36 et §. 23, 2.

§. 22.

Literae Υ et Ω.

ὔμμε, ὔμμι et **ὑμέας, ὑμῖν** (*vobis*). Forma aeolica spiritu leni instruitur. Cfr. *Apoll.* de pron. 348, B. *Eustath.* ad Il. 951, 7. *Phavor.* 1794, 6. Sin autem hic illic asper praefigitur, ὕμμιν cf. *Spitzn.* ad Il. VI, 77., hoc errore factum habeas.

ὦλλοι s. ὤλλοι (i. e. οἱ ἄλλοι). Il. II, 1. X, 1. Posterius *Zenodotus* scripsit, qui ex sui temporis consuetudine ἄλλοι interpretatus est οἱ ἄλλοι, et ionicam formam ὦλλοι s. ὤλλοι, Homero alienam, textui intrudere ausus est. *Wolfius* bene ἄλλοι tuitus est. cfr. *Spitzn.* ad Il. II, 1. et *G. Schneemann*: Specim. annott. in Odyss. rhaps. I. (August. Trevir. 1832.) pag. 15. Quod ad spiritum pertinet, ὦλλοι praeferendum est scripturae ὤλλοι ex analogia aliarum vocum ab exordio productarum, quae spiritum asperum mutant in lenem. cf. §. 23. Apud *Apollonium* Rh. ὦλλοι saepe recurrit, cf. I, 998. 1081. III, 176. 356. 365. IV, 253, nisi ultimo loco ἄλλοι praestantius sit. *Wellauerus*, quem conferas ad I, 910. 1101. III, 992. ὤλλοι, quod *Brunckius* conjecit, *Beckius* et *Gerhard.* lectt. Apoll. p. 93. probaverunt, mutavit in ἄλλοι, usu et significatione Homerica *reliqui, ceteri*.

τὤμισυ i. e. τὸ ἥμισυ cf. supra §. 16. p. 36. Exspectasses θὤμισυ. Sicut autem ὥριστος oritur ex ὁ ἄριστος, ita ex ὁ ἥμισυς nascatur ὤμισυς necesse est; unde τὸ ἥμισυ recte conflatur in τὤμισυ. θὤμισυ est Atticorum.

ὥριστος et **ὤριστος**. Aristarchus scripsit ὥριστοι Il. X, 539; in omnibus tamen editionibus legitur οἱ ἄριστοι, quod usitatius est. Crasis autem ὥριστος (singul.) ab omnibus fere libris scriptis et editoribus comprobatur Il. XI, 289. οἴχετ' ἀνὴρ ὥριστος i. e. ὁ ἄριστος. cf. XIII, 154. De mutato spiritu §. 23, 2.

ωὑτός i. e. ὁ αὐτός ex analogia τοῦ ὥριστος, τὤμισυ, τοὔνεκα.

§. 23.

Animadversiones in vocum, quae aspirationem mutaverint, recensum.

1. Si quis vocabula §. 17—22. enumerata diligentius consideraverit, sine multa meditatione inveniet, *spiritum saepissime mutatum esse obliterato digammate.* Unde factum est, ut Attici, qui digammatis usum ignorabant, multa vocabula ab aspero spiritu inciperent, quae Jones leniter et molle aspiraverunt; ex. c. ἐάλην, ἐαλῆναι, attice ἑάλην, ἑαλῆναι.

2. Spiritus saepissime tum, quum, vocabulum *longam vocalem ab exordio* habet, apud Homerum et Jones *mollis* animadvertitur; sin autem idem vocabulum a *brevi vocali incipit*, *asper* praefigitur; ut:

αἴμων (*prudens*) Αἰμονίδης ἆλτο ex ἅλλομαι ἀμός i. e. ἡμέτερος αὖος αὔτως	cfr. §. 17.	ἠώς pro ἕως cfr. §. 19. ἱρηξ pro ἱέραξ cfr. §. 20.	
		οὖδος pro ὁδός οὖλος pro ὅλος οὖρος pro ὅρος τοὔνεκα pro τὸ ἕνεκα	cfr. §. 21.
εἰαμενή εἰλύω εἰλίποδες ab ἕλιξ εὔαδε ab ἁνδάνω εὔομαι	cfr. §. 18.	τὤμισυ pro τὸ ἥμισυ ὦλλοι pro οἱ ἄλλοι ὥριστος pro ὁ ἄριστος ὡυτός pro ὁ αὐτός	cfr. §. 22.

Annot. 1. Haec res nititur vulgari lege Graecorum, qua syllabas ab initio vocabulorum productas leniter aspirare saepe consuerunt. Regulam igitur, quam Scholiasta ad *Apoll. Rh.* I, 1294. refert, *Herodianus* jam constituit hanc: ὅτι τὰ εἰς ος λήγοντα οὐδέτερα δισύλλαβα, ἀρχόμενα ἀπὸ φύσει μακρᾶς ψιλοῦται, αἶσχος, ἦθος, εὖρος, εἶδος, οὕτως οὖν καὶ ἦδος. Idem Herodianus, ut videtur, cf. *Spitzn.* ad Il. XV, 365. hanc dedit legem, quam *Scholiastae* et *Eustathius* sequuntur, qua vocali η ante vocalem instantem aspiratio derogatur, ut ἠώς pro ἕως, ἠΰς, ἠΰτε, ἤϊα etc. Cujus rei vera causa comprehenditur verbis modo allatis: vocalis longa ex Jade lenem spiritum sibi mavult. Adde *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 846.

Annot. 2. Ii, qui in vocibus ὥριστος, ὡυτός etc. spiritum asperum coronidi, craseos signo, cessisse putent, errare mihi videntur. Argumento esse possunt τὤμισυ, τοὔνεκα, quae vocabula, nisi ipsa aspiratio cessaret, θὤμισυ, θοὔνεκα scribenda essent, quomodo Attici solent.

3. Spiritus saepius mutatur, *si etymon*, cui spiritus asper praefixus est, *flexura sive compositione mutatur.* Cfr. *Lexicon* περὶ πνευμάτων p. 210. ed. Valcken. Πολλάκις γὰρ ἡ παραγωγὴ εἴωθεν ἀλλάσσειν καὶ τὸ πνεῦμα, ὡς ἐν τῷ ἅμα ἄμυδις, ἴδιω ἱδρώς κ. τ. λ. Ex. c.

a) *composita:* Ex ἅμα Ἀμοπάων, ex ὁμοῦ ὄπατρος, ὄτριχες. Sicut ex ὁμοῦ factum est ὁ, sic ex ἅμα intensivum ἀ, quod dicunt; ut ἀπτερέως (Apoll. IV, 1765.) *celeriter.* De qua significatione tamen viri docti dissentiunt. Cf. *Wellauer.* ad l. c. *Wernick.* ad *Tryphiod.* 85. De α intensivo alias dicemus.

b) *verborum formatio:*
ἀβροτάξειν, ἤμβροτον, ἁμαρτάνω. *Buttm.* Lexil. p. 134 sq.

ἅλτο, ἅλλομαι
ἁμός, ἡμέτερος
ἄρω ἀράρειν, ἅρμα, ἁρμόζω
εἴρω, ἕρμα, εἱρμός. *Buttm.* Lexil. I. p. 111.
ἕλη, εἴλη, εἴλησις, εἱληθερής
ἑλίσσω, ἑλελίσσω, εἰλίποδες
εὔαδεν, ἁνδάνω.

4. Spiritus saepe diversus est in diversis dialectis. Formae *aeolicae* et *ionicae* sibi praefixum malunt spir. *lenem*; formae *atticae asperum*, ut:

aeolice: ὔμμι, ἄμμι, ὔμμε, ἄμμε.
ionice: ἠώς, ἠέλιος, αὖος, ἄμαξα, Ἄιδης, ἀλκυών etc.
ἕως, ἥλιος, αὗος, ἅμαξα, Ἅιδης, ἁλκυών etc.

§. 24.

Lingua latina saepe literam s loco aspirationis Graecae substituit.

1. Pronuntiatio spiritus asperi non satis liquet; saepenumero quidem literam *H* aequat, ut Ὧραι lat. *Horae* et multa alia vocabula in sermonem latinum recepta nos docent; neque tamen infitias ire possumus, hanc aspirationem interdum alio sono prolatam fuisse. Multas enim voces, quibus spiritus asper praefixus erat, in lingua latina a litera S incipientes videmus, quas non absonum est jam a Graecis sibilo quodam putare pronuntiatas. Mihi autem persuadere non possum, inde digammatis vestigia cognosci posse (vide §. 4. pag. 13.), quanquam haud alienum nobis videtur, locum digammatis obsoleti aspirationem occupasse.

2. Sequitur recensus vocum, de quarum etymologia dubitari nequit:

ἁγνός lat. sanctus.
ἅζω lat. sacro.
(αἴων lat. saeculum) *).
ἅλλομαι lat. salio, salto.
ἅλς lat. sal. apud seriores Graecos σάλος, *salum*, altum mare. *Apoll.* Rh. I, 1159. cf. 1157.
ἄνευ, ἄνις lat. *sine*. cf. *D. J. Lindner* in nov. annal. Lips. 1834. Supplem. tom. III, fasc. I. p. 61.
ἅπτω, ἅπτομαι lat. sapio. forsan ab ἅπτω, ἍΠΩ, ἍϜΩ (tangere, ferire), unde *saucius*.

*) Hujus vocis mentionem propterea feci, quod *Schellerus* in Lexico latino-germ. s. v. *saeculum* hanc etymologiam secutus est, ex qua *saeculum* esset pro *saeviculum*, uti aetas pro aevitas, quod procul dubio descendit ab αἴων, αἴϜων. cf. §. 4. p. 13. At potius scribendum est *seculum*, quod originem traxit a *secare*, unde seculum segmentum temporis indicat. Item *Schellerus* ἅλις et *satis* componit; satis melius derivatur ab ἅδην, ἁδέως.

'ΑΡΩ, ἀραρίσκω lat. sarcio, unde ἔρω, εἴρω (cf. εἱρμός series), conserere. cf. *Buttm.* Lexil. I. p. 111.
ἕδος lat. sedes.
ἕζω, ἑδοῦμαι lat. sedeo.
ἔθω lat. suesco. *Buttm.* Lexil. II. p. 163.
ἑκυρός, ά lat. socer, socrus. germ. *Schweher*. *Buttm.* Lexil. l. c.
ἕξ lat. sex.
ἑός lat. suus.
ἕπομαι lat. sequor.
ἑπτά, ἑβδομήκοντα lat. septem, septuaginta.
ἕρπω lat. serpo.
ἡδύς, Ϝηδύς lat. suavis, indice *suadas*.
ἥλιος lat. sol.
ἥμισυ lat. semis, unde composita ex ἡμι lat. *semi*, ut ἡμίθνητος lat. semianimis.
ἵζω lat. sido.
ἱλέομαι, ἱλάομαι lat. sileo.
ἵστημι lat. sisto.
οἷ, ὅϜι lat. sibi.
ὁλκός lat. sulcus.
ὅλος lat. SOLVS i. e. totus, unde solidus, solers, solemnis, sollicitare.
ὅμιλος, ἅμα lat. simul.
ὅμοιος lat. similis.
ὅπος, ὅπιον lat. sopor (opium).
ὅρος, ὅρισμα lat. sors.
οὗ, ὅϜο lat. sui.
ὕδωρ, ἱδρώς lat. sudor, indice *svid*.
ὕλη, ὕλϜη lat. sylva.
ὑπέρ lat. super.
ὕπνος lat. somnus, ind. *svapnas*.
ὕραξ lat. surex.
ὗς et σῦς lat. sus.

3. Ex vocibus ἅλς et σάλος, ὗς et σῦς apparet, jam Graecos sibilantem literam modo admiscuisse, modo omisisisse. *Reimnitzius*: System der griech. Declinat. p. 41—49. legem tulit, literam σ saepissime ab initio vocabulorum et in media voce duabus vocalibus interpositam excidisse; id quod comparando linguas indo-germanicas argumentari conatus est; ex. c. ἅμα, sanskr. *samas*, lat. *simul*; ἵζω sanskr. *sad*, lat. *sedeo*. Censor (*Frankius* V. D.) libri *Reimnitziani* in Lipss. Annall. phill. et paedd. 1834. tom. XII, fasc. I. p. 8. recte opponit, mirum esse hoc factum, ut ista litera s, quum ex Hindostano ad Occidentales migraret, in Graecia interiisset et in Italia multo tempore post renata esset. Ex vocum recensu, quem dedi, hoc certe conjicere possumus, jam a Graecis sibilo quodam fuisse prolatas voces, quae apud Romanos a sibilo incipiunt. Sonus autem sibilans quum auribus Graecorum molestus fuerit, tantopere mitigatus est, ut alio signo exprimeretur non necesse esset nisi spiritu *H*. Num hoc signum satis aptum fuerit, quaeri potest? Cur non? Plures enim populi litera h utuntur, quo sibilum (Quetsch-Zischlaut) indicent. Cfr. Francogallorum et Anglorum ch, sh = (dsch, sch) et si verum est, Graecos literam ϑ pronuntiasse, quomodo Anglici *th*, luce clarius apparet, sonum spiritus asperi paulisper sibilasse. Cf. ϑεῖος laconice σεῖος; ϑέω (*curro*) dorice σέω; ϑοῖνα lat. *coena*. Sic forma laconica Μῶα, Μῶἁ pro Μῶσα, Μοῦσα exstat, et participiorum formae

ἐκλιπῶσα, κλεῶσα pro ἐκλίπουσα, κλέουσα. Cfr. *Reimnitz.* l. c. p. 49. *Hartung* de casuum formatione p. 125.

4. Omnino litera σ ad vocis notionis vim augendam apta habetur (cf. §. 13. p. 31.); ita ut numerus pluralis pluribus in linguis hac consonante indicetur, ut in tertia declinatione Graecorum et Romanorum, in lingua Francogallorum et Anglorum. Pronomen tertiae personae Ϝοῦ, Ϝίν, Ϝε in duali et plurali, dum nomina σ in fine affigunt, hanc literam praefixit in σϜώ, σϜών, σϜίν, σϜέ, unde σφώ, σφών, σφίν, σφέ; sic ὅς, ἥ, ὅ (*suus*) in forma collectiva σϜός, σϜή, σϜόν habet; unde σφός, σφή, σφόν. Eandem originem habet σφέτερος. De digammate in φ mutato cf. §. 4. p. 12.

5. *Buttmannus* in Gr. ampl. II. p. 219. literam σ in formis ἔσχον et ἔσπον subnatam esse ex aspiratione verborum ΕΧΩ, ἕξω et ἕπω censet. Literae ρ, quae semper aspiratione instructa est, Latini s praemiserunt in voce ῥοφέω, ῥοφάνω, unde literis transpositis *sorbeo*. Cfr.

γράφω, γλύφω, γρομφάς,
lat. *scribo*, *sculpo*, *scropha*,

quae voces satis ostendunt, Latinis facile et jucundum fuisse, exordium a litera s instituere.

6. Pauca tantum exempla reperiuntur eorum vocabulorum, quibus, quamquam spiritu leni instructa fuerint, Latini s praescripserunt, ut

εἰ lat. si.
εἰκών lat. signum.
εἴκελος, ἴκελος cf. sigillum.
ἔρω, εἴρω, ἔερτο, unde *sertum*, corona.
ἔρω dico, unde sermo. cf. ἑρμηνευτική.
ἐρύω, ἐρύομαι lat. servare.
ὀρός, ὀῤῥός lat. serum (*Mölken*).

Sine dubio in sermone antiquissimo spiritus asper praevaluit, qui pedetentim cessavit. Aspiratio deest verbo ἔρω, εἴρω (*sero*), tamen inhaeret voci εἱρμός *series*; ἄρω ἀραρίσκω - εἶρμα; ὅτριχος ab ὁμοῦ et θρίξ etc.

CAPUT QUARTUM.

DE ACCENTU.

§. 25.

De accentus varietate in dialecto epica et attica.

Cfr. *Ἀρκαδίου περὶ τόνων*. E codd. Pariss. primum edidit *E. H. Barkerus*. Lips. 1820. *Porphyrius περὶ προσῳδίας* in Villois. Anecd. Gr. — *Joannis* Alexandr. *τονικὰ παραγγέλματα* ed. *G. Dindorf.* Lips. 1825. *K. F. Chr. Wagner*: Die Lehre vom Accent der griech. Spr. Helmstädt. 1807. *C. Göttling*: Die Lehre vom Accent d. gr. Spr. ed. III. Rudolst. 1825. *K. Fr Merlecker*: Die wichtigsten Regeln über die griech. Accente. Königsb. 1830. — De accentu vocabulorum in Homericis obviorum cf. in primis *K. Lehrs.* de Aristarchi studd. Homm. p. 257—316.

1. Praecepta et leges, quae de accentuum usu referuntur et pariter ad dialectum Epicorum atque Atticorum quadrant, hoc loco referre a nostro fine abest. Plura tamen sunt, quae de accentu apud Epicos et Atticos discrepant; quam accentuum varietatem breviter exponere nobis institutum est. Varietas enim dialectorum, quae diversas vocum formas procreavit, etiam in vocum tenorem vim suam exercuit, eaedemque voces saepe vario accentu instructae animadvertuntur.

2. Epici, quibuscum Attici antiquissimi consentiunt, tenorem complurium vocabulorum in penultima syllaba collocaverunt, quem Attici mediae et inferioris aetatis in syllabam a fine tertiam retraxerunt, ut

Epici.	*Attici.*
γελοῖος ridiculus	γέλοιος
ἐρῆμος desertus	ἔρημος
ἑτοῖμος paratus	ἕτοιμος
ὁμοῖος similis	ὅμοιος
τροπαῖον tropaeum	τρόπαιον
φωριαμός scrinium	φωρίαμος *Etym. M.* 804.

Accedunt nomina ἄγυια (*via*) et ὄργυια (*ulna*), attice ὀξυτόνως ἀγυιά et ὀργυιά. Veteres tamen Attici una cum Ionibus tertiam a fine acuebant syllabam, teste *Etym. M.* s. v. εἷς et *Eustathio* ad Od. IX, 325. p. 1631, 27. ὄργυια ἡ παλαιὰ λέγει Ἀτθὶς, ὥσπερ καὶ ἄγυια. *Spitznerus* de versu heroico p. 51. inde veretur, ne Il. V, 642. VI, 391. ἀγυιάς ab accentu depravatum sit. Cf. *Quint. Sm.* II, 200. ibid. *Spitzn.* in Observv. ad *Quint. Sm.* p. 217. Inter adjectiva in ύς, εῖα, ύ exeuntia excipienda sunt apud Homerum ἔλαχυς et λιγύς

Il. I, 248., femin. ἐλάχεια et λίγεια (φόρμιγξ) proparoxytona. Cf. *K. Lehrs.* quaest. epicc. spec. I. Etiam θάλεια hic monendum est; θαλεῖα δαίς apud Homerum; nec non πρύμνη νηῦς a πρυμνός. Il. I, 408. Cfr. §. 29. s. v. (ταρφύς) ταρφέες. Αἴπεια Il. IX, 52. *Lehrs.* de Arist. st. Hom. p. 305.

Annot. De adjectivis in ˊῖς vide §. 28; in -κλειτός, -κλητός, κλυτός §. 29. et de adjj. composs. ex verbo transitivo §. 29. annot.

6. *Articulus* ὁ, ἡ, τό, qui in Homericis pronominis loco et demonstrativi et relativi positus est, testibus *Eustathio* ad Il. I, 9. p. 17, 41. ed. Bas. p. 23, 1. ed. Rom. *Apollonio* de construct. p. 92 sq. ed. Bekk. et *Apoll.* in Lex. Hom. p. 485. ed. Toll. *acuitur.* Cfr. *Reiz.* de accent. inclin. p. 6. Etiam *Hermannus* de emend. rat. Gr. p. 110. docuit, quin articulus accentum servet, aliter fieri non posse, si quando pronominis instar sit, et Il. X, 224. ita scripsit:

σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὅ τοῦ ἐνόησεν,

ubi *Wolfius* πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν exaravit. Nihilominus ab omnibus Homeri editoribus nunquam articulus ὁ, ἡ, οἱ, αἱ accentu instructus est et *Buttmannus* in Gramm. ampl. I. p. 305. tenorem articulo imponi ob voculae tenuitatem dissuasit. Nuper demum *Spitznerus* V. Cl. in editione sua Iliadis articulum acuendum curavit, praeeunte *Brunckio*, qui jam in edit. *Apollonii* Rhodii hic illic articulum ὅ (*hic*) accentu instruxit, scribens ὅ, ἥ, τό, οἵ, αἵ, τά. Cf. Il. I, 7. ὃ γὰρ ὦρσε. ib. 9. ὃ γὰρ ἦλθε. ib. 57. οἳ δ' ἐπεί etc. Itaque scribendum quoque est ὃ μὲν – ὃ δέ. οἳ μὲν – οἳ δέ. Od. I, 24. 110 sqq. XIX, 563. αἳ μὲν, αἳ δέ. Nec verearis, ne pronomen relativum cum demonstrativo articulo permisceatur, ut Od. XIX, 564 sqq. τῶν οἳ μὲν – οἵ ῥα, οἳ δὲ – οἵ ῥ' *eorum qui — ii vero, qui.* *Brunckius* tum modo articulum ὅ acuit, quum sine nomine addito pronominis demonstrativi locum sustinet. Cf. *Apoll.* I, 265. αὐτὰρ ὃ – κατεπρήϋνεν, ib. 293. αὐτὰρ ὅ τήνγε – προςέειπεν. *Apollonii* autem temporibus quum articulus veram pronominis demonstrativi potestatem amisisset, toties male acuitur, quoties cum illo nomen cohaeret. Aliter res se habet in Homericis, in quibus articulus semper pronominis vim prae se fert, et *Nitzschius* in addendis Od. II, 262. p. 325. recte monet, notionem Homerici articuli et demonstrativam et relativam tam arcte inter se cohaerere, ut aut ubique aut nusquam acuendus sit articulus. *Göttlingius*, quem in *Hes.* Scut. 441.

τόσσῃ ὁ μὲν ἰαχῇ, βρισάρματος οὔλιος Ἄρης

articulus ὁ μὲν male habet, eum exulare vult. Articulus vero nostro loco, ut sexcenties alias, nomen sequens (Ἄρης) bene praegressus est, et quadam vi nomen, quod sequitur, tan-

quam satis notum innuit. ὁ μὲν igitur digito quasi Martem demonstrat et scribendum est ὃ μέν. Cf. *Thiersch.* Gr. §. 284, 17. *Matthiae* Gr. tom. II, p. 869. 10. *Wellauer.* ad Apoll. Rh. IV, 1086.

4. *Spitznerus* uno loco Il. X, 408.

πῶς δ' αἱ τῶν ἄλλων Τρώων φυλακαί τε καὶ εὐναί

articulum non acuit. *Thierschius* in Gr. Gr. §. 163. annot. praetulit

ποῦ δαὶ τῶν ἄλλων κ. τ. λ.

conjunctionem αἱ τῶν Τρώων φυλακαί Homerico usui alienam praedicans. Recte quidem; voculam tamen δαὶ Homero incognitam fuisse *Spitznerus* l. c. et *Nitzsch.* ad Od. I, 225. docuerunt. Quum neque libri, neque grammatici satis probabilem lectionem praebeant, conjectura loco mederi liceat. Nescio an forsan probabilis sit scriptio:

πῶς δ' οἱ τῶν ἄλλων Τρώων φυλακαί τε καὶ εὐναί,

quae ad priores enunciationes interrogativas πῶς δέ οἱ et ποῦ δέ οἱ apte quadraret. Hoc unum quod opponi possit, digamma neglectum est; at cf. *Hermann.* ad Orph. p. 775 sqq. qui locos pronominis οὗ, οἷ, ἕ digammati repugnantes collegit. Adde *Apoll.* Rh. III, 594 (vide supra p. 26. s. v. οὗ):

νόσφιν δ' οἱ αὐτῷ φάτ' ἐοικότα μείλια τίσειν,

quam lectionem vulgatam *Brunckius* mutavit in νόσφι δέ οἱ.

5. Ad locum Il. X, 408. αἱ τῶν – φυλακαί accedunt ii, quibus ὁ ἄριστος et οἱ ἄριστοι inest. *Spitznerus* alias articulum acuens, tenorem omisit; quae tamen enormitas mira videtur. cf. Il. XIII, 128. οἱ γὰρ ἄριστοι. Concedendum quidem est, articulum hac in constructione minoris momenti et isti serioris aetatis similem esse; nihilo tamen secius ὃ ἄριστος quoque et οἳ ἄριστοι scribendum esse putaverim. De notione hujus articuli verbosius exponere non hujus loci est. *Aristarchus*, cui articulus displicuit, crasi vocabula conflavit in ὤριστος, ὤριστοι. Cf. ad Il. X, 539. et supra §. 22. s. v.

Accedimus ad duplicem tenoris usum tractandum, Atticis quidem haud incognitum, Epicis tamen usitatiorem et latius patentem, ad usum *inclinationis* et *anastrophae* tenoris. Cui dissertationi nominum recensum praemittimus, quorum tenor in Homericis et Epicis aut recedit ab Atticorum usu, aut a viris doctis in dubium vocari solet.

§. 26.

Recensus nominum propriorum, de quorum accentu dubitatur.

Antequam singula nomina enumerabimus, duas regulas a veteribus grammaticis constitutas proferimus.

1. Nomina propria, quae cum adjectivis stirpem formamque eandem communem habent, adjectivorum accentum inclinare solent. Cf. *Reiz.* de accent. inclin. p. 116 sq. et *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 289 sqq. Ex multis, quae *Lehrsius* l. c. protulit, pauca proferam exempla, et pauca iis addam, quae ille nimis breviter tractavit.

Ἄγαυη et Ἀγαύη Il. XVIII, 42. *Hes.* Th. 246. ibid. *Göttling.*, qui docet, paroxytonōs pronuntiasse seriores Graecos, ut *Nonnus* in Dion. XXI, 112. adde *Theocr.* XXVI, 1. *Oppian.* Cyn. IV, 239. 292. et Hesiodo vindicavit Ἀγαυή. Recte quidem. Ἀγαυή enim, ut *Lehrsius* l. c. p. 293. docuit, oxytonos scribitur, quum proprie adjectivum sit. Accedit *Spitznerus* ad Il. XVIII, 42. — Hoc nomen ad ea pertinere videtur, quae infra p. 59. enumerabimus.

Ἀργέστης et ἀργεστής; illud *nomen venti* paroxytonon est, hoc adjectivum oxytonon, unde Il. XI, 305. XXI, 334. ἀργεστᾶο Νότοιο circumflexu recte insignitum est a *Spitznero.* cf. Eustath. ad Il. p. 845, 60 (et 1238, 51): τὸ ἀργέσταο, εἰ μὲν ἐστι κύριον ἀνέμου, προπαροξύνεται, εἰ δὲ ἐπιθετὸν νότου, προπερισπᾶται. Ἀργέστης nomen proprium legitur in *Hes.* Theog. 379. cf. ib. *Göttling.*

Ἀχαίη et Ἀχαιή *Nicand.* Ther. 484. Ἀχαίη Δημήτηρ i. e. *Ceres patiens*, doloribus affecta ob raptam filiam et ἀχαίη derivandum est ab ἄχος *dolor.* *Hesych.* et *Etym. M.* s. v. μετὰ κυμβάλων ἠχοῦσα τὴν Κόρην ἐζήτει, quibus apparet, Ἀχαία derivandum esse ab ἠχέειν, ἦχος, et haec vocabula ab ἀχέειν. Vide *Buttmann.* Lexil. II, p. 117 sqq. Ceres, cujus mentionem facit *Pausanias* VII, 24. Δημήτηρ Ἀχαιά (oxytonon) est Ceres *Achaïca*, Παναχαιά, quam Athenienses coluerunt. Vide *J. H. Voss.* ad Hymn. in Cer. v. 40 sq.

Γλαύκη et γλαυκή. Arcad. de acc. 106, 11. Illa est Nereïs *Hes.* Th. 244. Il. XVIII, 39. hoc adjectivi forma feminea. Nereïdis nomen jam Aristarchus ἐβάρυνεν. cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 273.

Γλαῦκος et γλαυκός. Ille est deus marinus, hoc adjectivum. *Herod. Arcad.* 106, 11.

Δόλιχος et δολιχός. Δόλιχος scribendum esse nomen proprium praecepit *J. H. Voss.* ad Hymn. in Cer. 155; δολιχός adjectivum. cf. *Dind.* praf. Herod. μονολ. λ. p. VIII.

Ἰρή et Ἶρη. De spiritu cf. §. 20. *Aristarchus* et *Herodianus* Ἰρή scripserunt. cf. *Eustath.* p. 743, 13. et cum iis *Strabo* VIII, 359. B. et secuti sunt Homeri editores. Nuper *Lehrsius* quoque in libro de Arist. st. Hom. p. 303 sq. Aristarchi sententiam adjuvit, ostendens, rem aliter se habere in hominum, aliter in urbium et geographicis nominibus. Cf. *Lehrs.* p. 306. — Ἶρη exhibet *Pausan.* Messen.

XXX, 1. et *Eustath.* p. 743, 20; quibus ductus *Spitznerus* Il. IX, 150. in textum recepit Ἴρη.

Ἴσχυς et ἰσχύς. Ille legitur Hymn. in Apoll. 210. *Lehrs.* de Arist. st. H. p. 298. nomen proprium ab ἰσχύω descendere facit, et provocat ad Ciceronem, de N. D. III, 22. *Valens* interpretantem.

Κλεῖτος et κλειτός. Illud nomen propr. *Clyti*, Pisenoris filii, Il. XV, 445. hoc adject. *clarus*, inclytus. cf. *Etym. M.* p. 517. At confer *Herodiani* Scholion ad Il. l. c. apud *Lehrs.* l. c, p. 294.

Λεῦκος et λευκός. Ille Ulyxis comes Il. IV, 491, hoc adjectivum.

Λιπάρη et λιπαρή. Illa nomen insulae, hoc adject. *nitida.* cf. *Callias* (Schol. ad Apoll. III, 41.) νήσῳ ἔνι Λιπάρῃ. *Lehrs.* de Arist. st. H. p. 306. exspectandum nobis esse dicit Λιπαρὴ scil. νῆσος, at diffidere vulgari tenori non audet, quum omnes ac singuli codices paroxytonos scriptum habeant. Adde Thucyd. III, 88.

Attendendum autem est ad plura ejusmodi nomina propria, quae adjectivi significationem et potestatem minus celant, ideoque adjectivi tenorem retinent, ut sunt

Ἀψευδής et Νημερτής

Nereïdes apud *Hom.* Il. XVIII, 46. *Hes.* Theog. 262.

Αἰσχρή et Δηναιή

humanae affectiones apud *Empedocl.* 13.; sed Αἴσχρη apud *Callim.* in Anthol. Pal. I, p. 222. ed. Jacobs. *nutricis* et apud *Asclep.* in Anth. laud. p. 150. *unguentariae* nomen est. Huc quoque pertinere Ἀγανή jam supra diximus. Docte de hac re disputavit *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 273 sqq.

2. Sin autem adjectivum jam βαρυτόνως pronuntiatur, non vice versa accentus ad finem versus promovetur. De hac re *Lehrs.* l. l. p. 276 sq. p. 282. Unicum exemplum profert

Ἀμφοτερός Il. XVI, 415. Hoc nomen proprium Aristarchus ὀξυτόνως acuit (cf. Scholl. et Eustath. 1068, 3.), ne cum numerali pronomine ἀμφότερος confunderetur. Accedat

Πλειστός et Πλεῖστος, pater Nympharum Coryciarum. *Apoll.* Rhod. II, 711. Πλεῖστος in libris scriptis; sed Schol. ad h. l. monuit, plures scripsisse Πλειστός, neque absonum videtur vocabula tenoris discrimine distinere, ne nomen proprium cum superlativo Πλεῖστος (a πολύς) permisceatur. cf. Φλαῖστος et Φλαιστός Od. III, 396. *Lehrs.* l. c. p. 287.

3. Nomina propria trium brevium syllabarum in paenultima acuuntur. cf. *Etym. M.* p. 521, 10. Κλόνιος ὄνομα κύριον· διὰ τί παροξύνεται; τὸ εἰς ος λήγοντα τριβραχέα ἐπὶ κυρίων προπαροξύνεται οἷον Σχέδιος, Χρόμιος, Κλυ-

τίος, Ὀδίος, Δολίος, Τυχίος. ἀντικείκτουσι δὲ κατὰ παράδοσιν τὸ Ἄλιος (sic cod. Paris. pro vulg. ἥλιος), Ἄνιος, Ξένιος, Κρόνιος. cf. *Lehrs.* l. c. p. 278 sqq.

Βαλίος, equus Achillis, Il. XVI, 149.

Δολίος Od. IV, 735. XXIV, 222. 387. 397. 409. 497. cf. *Lehrs.* l. c. p. 281.

Κλονίος Il. II, 495. XV, 340. *Apollod.* III, 12, 8. Κλόνιος.

Κλυτίος Il. III, 147. XX, 238. Dubitari igitur nequit, quin *Apollonio* Rhod. I, 1044. II, 1043. reddendum sit Κλυτίος, quomodo Scholiasta ad II, 117. scripsit. Cf. *Lehrs.* l. l. p. 279. Not. **).

Ὀδίος Il. II, 856. V, 39. IX, 170. *Eustath.* p. 890. cf. *Lehrs.* l. l. p. 280.

Ῥοδίος fluvius, filius Oceani, *Hes.* Theog. 341. Ῥόδιος vulgo. *Göttling.* autem ex praecepto *Arcadii* de acc. p. 39, 15. Ῥοδίος recte restituit. Verba Arcadii addas ad testimonia a *Lehrsio* p. 278. et 281. allata: Τὰ διὰ τοῦ διος παροξύνεται, εἰ μὴ τρισύλλαβα ὄντα τριβραχέα εὑρεθῶσι. καὶ πρὸς διαστολὴν κυρίων καὶ ἐπιθετῶν, ὥσπερ ἔχει τὸ Ῥοδίος καὶ Σχεδίος.

Στιχίος Il. XIII, 195. 691. XV, 329. Ante *Wolfium*, qui Στιχίος recte recepit, vulgo Στίχιος. cf. *Phot.* 152. b. 36.

Σχεδίος Il. II, 517. XV, 515. XVII, 306. et sic legendum erit *Quint.* Sm. I, 87. pro Χέδιος.

Τυχίος Il. VII, 220.

Φλογίος *Apoll.* Rh. I, 1054. II, 956. *Quint.* Sm. VII, 242. Sic vulgo. Φλόγιος autem dedit *Brunckius*, quem secuti sunt *Beckius* et *Wellauerus*. Sed auctoritate tot exemplorum huic nomini similium restituendum erit paroxytonon Φλογίος.

Χρομίος Il. IV, 295. V, 160. 677. VIII, 275. XVII, 218. 494. 534. Od. XI, 286. Libri scripti modo Χρομίος praebent. Sed grammatici sine exceptione paroxytonon verum tuentur. *Eustath.* tamen p. 264, 33. 591, 31. et *Heynius* Χρόμιος verum habent. Adde quos *Lehrs.* l. c. p. 279. in nota **) laudavit.

Accedunt his paucis nominibus multa alia, quorum magnam partem commemoravit *Lehrsius* V. D. in libro de Arist. stud. Hom. p. 279 sq.

§. 27.

Sequuntur plura nomina propria, quorum accentus ad certam regulam minus referri potest. Sufficiant haec.

Αἰπύ Il. II, 592. Hymn. in Ap. 423. ἐΰκτιτον Αἰπύ. Quum veteres grammatici dubitarent, num ΑΙΠΥ nomen esset adjectivum an proprium, pro varia sententia scripserunt modo

αἰπύ, ut *Pherecydes* Ἐΰκτιτον αἰπύ, modo Αἶπυ, ut *Aristarchus* ἐΰκτιτον Αἶπυ, ex analogia adjectivorum, ut ὀξύ. Locum Aristarchi sententiam exponentem legas apud *Lehrs.* de stud. H. Arist. p. 303., et *Lehrsius* satis docte argumentatur, Αἰπύ Homero reddendum esse. cf. p. 306. — *Herodianus* Αἶπυ ratum habuit, quocum consentiunt *Stephan.* Byz. s. v. Αἶπυ. *Strabo* VIII, 536. D. (*Lehrs.* l. c. p. 305. jam Eustathium apud Strabonem Αἰπύ legisse sentit) et *Etym. M.* 37, 28. Quibus testimoniis adducti editores Homeri Αἶπυ receperunt.

Ἀμφιτρύων et **Ἀμφιτρυών** *Hes.* Scut. 2. adde Ἠλεκτρυών ib. 3. Si horum nominum genitivus vocalem ω servat, *penultima*; sin ω corripitur, *ultima* acuenda est; ergo Ἀμφιτρύων -τρύωνος, Ἠλεκτρύων -τρύωνος; contra Ἀμφιτρυών -τρυόνος, Ἠλεκτρυών -τρυόνος. *Heynius* ad Apollod. p. 129. falsa prodit. cf. *Göttling.* ad Hes. l. c.

Ἄντρων et **Ἀντρών** Il. II, 697. Hymn. in Cer. 496. Oxytonon, quod in editionibus reperitur, defendunt *Etym. M.* 114, 55. *Arcad.* de acc. 16, 17 sqq. et *Herodianus*. Sed barytonesin tuetur *Hesych.* I, 407. Cf. etiam *Lehrs.* de Arist. st. H. p. 272.

Γλίσας et **Γλισᾶς**, et duplicata σ Γλίσσας et Γλισσᾶς. Harum formarum primam (Γλίσας), acc. Γλίσαντα editores, qui *Herodotum* IX, 43. *Pausan.* IX, 19, 2. *Strabon.* IX, 632. A. secuti sunt, Homero Il. II, 502. reddiderunt. Testimonio quoque esse possunt γίγᾱς, Αἴας, Θόας. Cf. *Spitzn.* ad Il. II, 502.

Ἐρύθραι, **Ἐρυθραί**, **Ἐρυθραῖ**, nomen plurium urbium, quas grammatici tenore distinxerunt. Formam miram Ἐρυθραῖ invenis apud Herodot. I, 142. Ἐρυθραί autem plures grammatici et libri scripti patrocinantur et tuetur Γεραιθραί *Pausan.* Lacon. II, 6. In Homeri editionibus receptum est Ἐρύθραι Il. II, 499., quod *Thucydides* III, 24. comprobat, fluctuantibus tamen codicibus. Equidem cum librorum plurimorum consensu et ex analogia urbis Γεραιθραί praeferrem Ἐρυθραί oxytonos.

Εὐρυμέναι et **Εὐρυμεναί** (urbs Thessaliae). *Apoll.* Rh. I, 597. Ultimum recte se habet et bene ab *Ruhnkenio* in Epist. crit. p. 283. defenditur. cf. Ὀρχομενός, Ἰαμενός et alia oxytona hujus modi. Εὐρυμέναι *Beckium* patronum habuit.

Κάρησος et **Καρησός** Il. XII, 20. ibid. *Spitzn.* Adde *Lehrs.* de stud. Hom. Arist. p. 271 sq. Proparoxytonon defendit *Aristarchus*; oxytonon debetur *Tyrannioni*.

Κρῖος et **Κριός**. Nomen Titanis apud *Hes.* Theog. 134. 375. ib. Göttling. Vulgo Κρεῖος; diphthongum proscripsit *Göttlingius*, et Κρῖος recepit. cf. *Apollod.* I, 1, 3. *Herod.*

VI, 50, 73; tamen VIII, 92. *Κριός* et sic saepissime apud alios; cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 296., qui docuit, et codicum auctoritate et grammaticorum, inter quos Aristarchus, praeceptis *Κριός* esse scribendum. Cf. *Etym. M.* 539.

Μέγης et **Μεγῆς** Il. XV, 302. Circumflexum unus *Ptolemaeus* Ascal. imposuit, ex analogia heteroclitorum *Θαλῆς*, *φαλῆς* primae, *Θάλης*, *φάλης* tertiae declinationis. Adversantur *Aristarchus* et *Herodianus* (Choerobosc. ap. Bekk. p. 1359), a quorum parte reliqui grammatici stant. cf. *Spitzn.* ad Il. l. c. et *Lehrs.* l. c. p. 310.

Μενέσθης Il. V, 209. in omnibus Homeri editionibus reperitur; *Aristarchus* tamen, teste Schol. LV., scripsit *Μενεσθῆν* s. *Μενεσθήν* (accus.) ὀξυτόνως cf. *Spitzn.* ad Il. l. c. et *Lehrs.* l. c. p. 310. nota ***).

Ὀλίζων et **Ὀλιζών** nomen urbis. Il. II, 717. Oxytonon Ὀλιζών gen. ῶνος *Apion* et *Herodorus* defendunt contra Ὀλίζων, quod habuit *Nicias*. At ὀλίζων comparativus est ab ὀλίγος, cujus genitivus ὀλίζονος sonat.

Πειρεσίαι et **Πειρεσιαί** *Apoll.* Rhod. I, 37. 584. Plurimi codices et Scholia ad h. l. παροξυτόνως scripserunt; nihilominus *Brunckius* ex v. 584. ultimam acuit, quem secutus est *Wellauerus*.

Πήδαιον et **Πηδαῖον** Il. V, 69. Hoc vulgo et patroni sunt *Arcadius* de acc. p. 43, 13. et *Eustath.* ad Odyss. p. 1809, 45. *Spitznerus* vero *Πήδαιον*, quod schol. Herodianus *Aristarcho* vindicat, ex antiquis editionibus reduxit. Herodiani verba exscripsit *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 306.

Ῥίπη nomen urbis Il. II, 606. Grammatici hoc nomen propterea in penultima acutum putaverunt, quod ita melius ab ῥιπή distingui possit. cf. *Eustath.* 906, 50. Eos errasse docuit *Lehrsius* l. c. p. 299, qui nomen ab ῥίψ *juncus* derivatum dixit.

Σαρπήδων et **Σαρπηδών**. Utraque forma poetae usi sunt. Oxytonon genitivum correpta vocali Σαρπηδόνος, proparoxytonon litera τ interposita Σαρπήδοντος flectit, unde vocativus Σαρπῆδον Il. V, 633. more Aeolico. *Apoll.* Lex. Hom. p. 594. ed. Toll. *Eustath.* p. 590, 40.

Τροιζήν et **Τροίζην**. Illud recurrit apud *Thucydidem* et *Herodotum*, hoc Τροίζην vult Herodianus apud *Eustath.* p. 287, 19. Minus recte. cf. *Spitzn.* ad Il. II, 561.

Φᾶρις et **Φάρις** Il. II, 582. Quum vocalis α longa sit (cf. *Nicand.* Ther. 398.) dubitari non potest, quin circumflexus bene se habeat, quem superscriptum inveniunt apud *Pausan.* Lacon. II, 6. XX, 3. *Strabon.* VIII, 558. A. *Stephan.* Byz. s. v.

Φρόντις Od. III, 282. Il. XVII, 40. Non paroxytonon est, ut ab appellativo distinguatur φροντίς (*Eustath.* 907.), sed

quia ejusmodi nomina βαρυτόνησιν sibi flagitant ex norma derivationis. cf. *Lehrs.* l. c. p. 297 sq.

§. 28.

Nomina substantiva, adjectiva et adverbia.

Ἄγηρως et **ἀγήρως** (senii expers). De accentu egit *Göttling.* ad Theod. Gr. p. 249. Adde *Hermann.* de em. rat. gr. p. 29 sqq. *Spitzner.* ad Il. II, 447. Excurs. IV.

ἀγρονόμος et **ἀγρόνομος**. De accentu fluctuant grammatici. Pro varia etymologia varie acuerunt. In Od. VI, 106 dicuntur Nymphae ἀγρονόμοι i. e. *agros, campos habitantes.* cf. Il. XX, 8.

Νύμφαι, αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται.

Si quis autem ἀγρονόμος ex verbo neutro νέμεσθαι compositum censeat, ei ἀγρόνομος scribendum est. Repugnat vero *Arcadius* de acc. p. 61, 14. qui προπαροξυτόνως vocabulum scribi jubet; et quum alia ejusmodi adjectiva occurrant ut *Apoll.* Arg. II, 821. Νύμφαι ἑλειονόμοι, ἀγρονόμος retinere debemus. Scholiastae nonnulli ἀγρονόμος explicant ἄγραν νέμουσα i. q. ἀγρονόμος *praedam impertiens,* quod bene quadrat ad Od. IX, 154. ὦρσαν δὲ Νύμφαι αἶγας, ἵνα δειπνήσειαν ἑταῖροι. Pari modo οἰοπόλοι apud *Apoll.* Rh. IV, 1322. ex scholiastae sententia: περὶ τὰς ὄϊς πολοῦσαι. Cf. *Nitzsch.* ad Od. VI, 106.

ἄγυια et **ἀγυιά** cf. §. 25. p. 55.

ἀελλής i. q. ἀελλαῖος *procellosus.* Il. III, 13. Semel tantum occurrit. Haud spernenda est Aristophanis scriptura κονίσαλον ὤρνυτ' ἀέλλης i. e. *pulveris orta est procella*; ita ut ἀέλλης gen. -λου nomen substantivum esset. Cf. *Spitzn.* ad Il. l. c. *Buttmannus* in Lexil. II, p. 228. locum ita citat κονισάλου ὤρνυτ' ἀελλῆς, quod esset pro ἀελλήεις, ut τιμῆς pro τιμήεις, sed non liquet, num librorum auctoritate an conjectura adductus fuerit vir doctissimus.

ἀκλεές et **ἀκλέες** (*gloriae expers*) Il. VII, 100.

ἥμενοι αὖθι ἕκαστοι ἀκήριοι, ἀκλεὲς αὔτως.

Hoc loco neutrum adjectivi *adverbii* loco positum est. cf. ἐπιτηδές *Buttmann.* Lexil. I. p. 42. 44. *Heynius*, qui cum grammaticis (*Etym. M.* 198, 12. *Eustath.* 67, 38. 669, 1.) ἀκλέες s. ἀκλεῖς praestantius habuit, formam curtatam esse ex ἀκλεέες et ad ἕκαστοι referendam minus bene judicavit. cf. *Spitzn.* ad Il. l. c. et in Excurs. XXII. ad Il. XII, 318. p. XCVI sqq.

ἁλίπλοος et **ἁλιπλόος** (*mari navigans*) Il. XII, 25 *mari inundatus.* Pauci grammatici vocem παροξυτόνως scribunt, plures et meliores προπαροξυτόνως. *Eustath.* p. 890, 50. *Apoll.* Lex. Hom. p. 90. *Etym. M.* p. 64, 4. *Arcad.* de acc. 42, 10. cf. *Spitzn.* ad Il. l. c.

ἀλοοσκοπίη et ἀλοοσκοπιή. Uno tantum loco vox paenultima accentu instructa legitur, Il. X, 515; alias semper in ultima, ut Il. XIII, 10. Od. VIII, 285. *Hes.* Th. 466. *Spitznerus* igitur grammaticis adspirantibus (*Etym. M.* 718, 53. *Arcad.* de acc. p. 100, 2.) jure meritoque falsum accentum proscripsit, et ubique ἀλοοσκοπιή in ultima acui jussit.

ἀργεστής. Vide Ἀργέστης §. 26, 1.

αὖος et αὐός (*aridus*). Grammatici fluctuant. *Nicias* teste scholiasta ad Il. XII, 137. (ib. *Spitzner.*) αὐός acuit; *Ptolemaeus* Ascal. βαρύνει, ergo αὖος, quod praestat. Verba *Arcadii* de acc. 37, 7. corruptione laborant.

αὖρα et αὔρα (*aura, ventus*). Lexica passim αὔρα praebent; defendit properispomenon *Wagnerus* in doctrina de accent. p. 356. At veteres grammatici jam verum tenorem indicant, ut *Hesych.* et *Dracon.* strat. p. 81, 19. Forma ionica αὔρη Od. V, 469. jam satis demonstrat, α in fine vocis αὔρα productum esse neque ante se pati circumflexum.

ἀφυσγετός et ἀφύσγετος Il. XI, 495. Illud *Aristarchus* defendit, cui alii grammatici adstipulantur, quos *Spitznerus* laudat ad Il. l. c. Tyrannioni debetur ἀφύσγετος. cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 310.

βηλός et βῆλος Il. I, 591. Illud vulgo; hoc *Crates.* cf. *Etym. M.* 196. *Herod. Arcad.* 53. cf. *Lehrs.* l. c. p. 310.

δαΐς et δάϊς (*pugna*). Dativus tantum hujus vocabuli ad nos pervenit, δαΐ. Omnes praeter *Ptolem.* Ascal. δάϊ scribentem, ὀξυτόνως proferunt vocem. cf. *Spitzn.* ad Il. XIV, 387., qui plura collegit hujus vocabuli et accentus veri testimonia.

δηϊοτής et δηϊότης (*pugna*) cf. *Spitzn.* ad Il. III, 20. *Aristarchus* et *Herodianus* δηϊοτής, ῆτος ratum habent; recentiores δηιότης. *Göttling.* de accent. p. 66, 4. *Reiz.* de inclin. acc. p. 109. *Wesseling.* ad Diod. Sic. I. p. 236. *Schaefer* ad Long. Pastor. p. 377. Ante omnes *Lehrsium* de Arist. stud. Hom. p. 269 sqq. Inter sex voces, praeter quas nulla apud Homerum in ότης exstat, δηιοτής sola accentus enormitatem habet.

δολιχός vide Δόλιχος §. 26, 1.

ἐγχέσπαλος (*hastam vibrans*). Vide §. 29. annot.

ἑεδνωτής (*sponsae pater, socer*) Vulgo. *Tyrannionem*, qui Il. XIII, 382. ἑεδνῶται scripsit, refutat Schol. A. ad h. l.

ἐπιζαφελῶς (*vehementer*) Il. IX, 516. circumflexum fert, quasi ab adjectivo ἐπιζαφελής descenderet, quod nusquam legitur; sed in eadem rhapsodia v. 525. occurrit ἐπιζάφελος, et forsan alicui scribendum videatur ἐπιζαφέλως pro -ζαφελῶς. cf. *Buttm.* Gr. gr. II. p. 263. nota *). Sed ζαφελῶς per synecdromen, ut ἀμελῶς, ἐντελῶς subnatum est,

cf. *Herod.* apud Joann. Alex. 39, 18. et *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 267.

εὐτείχης Il. XVI, 57. πόλιν εὐτείχεα πέρσας. Exspectasses potius εὐτειχής, acc. -χέα ex analogia aliorum ejusdem generis adjectivorum. Veteres vero Grammatici, *Eustath.* p. 1045, 60. *Etym. M.* 399, 8. paroxytonon tuentur tanquam ex metaplasmo subortum ex εὐτείχεος, εὔτειχος (εὐτείχητος, εὐτείχιστος).

ζαός et **ζῶς** (*salvus, vivus*) Il. V, 887. Hoc scripsit *Ptolem. Ascal.*; ζώς, ex ζωός, omnes fere libri et grammatici. cf. *Apoll. Lex. H.* p. 105. *Etym. M.* 806. *Buttm.* gr. Gr. I, p. 250. Accusativum autem ζῶν *Aristarchus* περισπωμένως scripsit, ut schol. *Venet.* ad Il. XVI, 445. tradit; *Spitznerus* ζών, quod *Wolfius* tuitus est, proscripsit, λίς, λῖν comparans.

θαμειαί et **θαμεῖαι** cf. (ταρφύς) ταρφέες.

ἤ-ἤ et **ἦ-ἦ**. *Herodianus* in *Joann.* Alex. epit. p. 41, 42. in enunciatione interrogativa ἤ-ἤ alterum ἦ scribendum esse censuit, et sic sequens et quartum etc., ergo ἤ-ἦ-ἤ-ἦ. cf. *Lehrs.* Quaest. Epicc. specim. I. Herodianus, ut videtur, hariolatus est.

ἱππόδαμος (*equos domans*) cf. §. 29. annot.

ῑς. Adjectiva in ις vario tenore pronuntiata esse discimus; ut εὐκνήμις, plur. εὐκνήμιδες et εὐπλοκαμίς, plur. εὐπλοκαμῖδες, Schol. *Venet.* ad Il. II, 175. hoc praeceptum dedit: τὰ εἰς ις λήγοντα θηλυκὰ ὀξυνόμενα, εἰ μὲν ἐν τῇ συνθέσει φυλάσσοι μόνον τὸν αὐτὸν τόνον· εἰ δὲ μεταληπτικὸν γένοιτο καὶ ἀρσενικὸν μεθίσταται καὶ εἰς βαρεῖαν τάσιν ἀναγκαίως, τὸν μὲν πρότερον φυλάσσοντος τὸ αὐτὸ γένος καὶ τὸν αὐτὸν τόνον· περισκελὶς τοῦ δὲ δευτέρου δύσελπις. ταύτῃ οὖν τὸ μὲν καταιγὶς ὀξύνεται, τὸ δὲ μελαναίγις βαρύνεται. οὕτως οὖν καὶ τὸ εὐκληῒς καὶ πολυκλήϊς βαρυνθήσεται, ἐπεὶ καὶ τὸ εὐκνήμις. *Eustathius* Venetum sequitur Il. II, 175; alio tamen loco, Od. II, 119. p. 1437, 50 sqq. sententiam aliam amplectitur et omnia adjectiva, quae feminino tantum genere utuntur, semper παροξυτόνως efferri jubet. δέον γὰρ ὥσπερ κρηπὶς μεγαλοκρήπις, ψηφὶς πολυψήφις· ὡς τὸ πολυψήφῖδα παρ' Ἕρμον. οὕτως καὶ εὐπλοκάμις καὶ πληθυντικὸν εὐπλοκάμιδες. cf. Od. X, 119. XIX, 542. ἐϋπλοκάμιδες Ἀχαιαί pro ἐϋπλοκαμῖδες Ἀχαιαί. Sic εὐκλήϊς, εὐκνήμις Il. I, 17. semper παροξυτόνως pronuntiantur; ita et Il. II, 74. πολυκλήϊσι. cf. ibid. *Spitzn.*, qui hunc tenorem verum habet et alia nomina, ut ἁλικρήπις apud *Nonum*, βαθυκνήμις, εὐκρήπις, quae passim acuuntur, barytona esse censet. Cf. *eundem* in libro de vers. her. p. 49 sq.

§. 29.

Literae K—Ω.

κατένωκα et **κατενῶκα**. *Lehrs.* p. 310. κατενῶκα adverbium esse putat, sicut καταῦθι, ἐξαῦθις etc. *Spitznerus* Il. XV, 320. vocabula disseeuit, scribens κατ' ἐνῶκα. Circumflexum defendit *Aristarchus*; acutum in antepaenultima *Alexion* cum aliis. Recentiores grammatici Aristarcho adstipulati sunt.

-κλειτός, -κλυτός, -κλητός. In Homericis plura reperiuntur adjectiva cum -κλειτός, -κλυτός, -κλητός composita, ut ἀγακλειτός, ἀγακλυτός, ναυσικλειτός *), ναυσικλυτός, ὀνομακλυτός (*Aristarchus* ut videtur ὀνομάκλυτος), περικλυτός. Scholiastae quidem de tenore in diversas sententias discedunt; vulgo tamen ὀξυτόνησιν probant. cf. *Etym. M.* p. 215, 21 sqq. Vide *Buttm.* Lexil. II, p. 252—256. *Göttling.* de acc. ling. Gr. §. 33. Rem ad liquidum perduxisse *Spitznerum* in Excurs. XI. ad Il. V, 491. §. 2. p. XXI sq. contendi fere potest. Accedit τηλεκλητός, quod in multis locis cum varia lectione τηλεκλειτός legitur. *Heynius* et *Wolfius* τηλεκλητός recipiendum esse constituerunt, quando quidem epitheton esset auxiliorum, ἐπικούρων, ut Il. V, 491. VI, 111. IX, 233. XI, 564. XII, 108. *auxilia e longinquo accita.* Qui vero ἐπίκουροι quum saepius quoque κλειτοί (*clari*) appellarentur, *Heynium* hujus lectionis poenituit, κλητοί meliorem censens. *Buttmannus* autem in lexil. p. 94 sq. eum oppugnans, satis evidenter docuit, ἐπικούρους non solum κλειτούς, sed τηλεκλειτούς etiam semper nominandos esse. Eique obsecutus est *Spitznerus* in edit. sua Iliadis, qui τηλεκλειτοὶ ἐπίκουροι reposuit. Sic apud *Apoll.* Rh. III, 1097. *Ariadne* dicitur τηλεκλειτή. Errore modo typothetae in edit. *Wellaueri* legitur τηλέκλειτη ut in editione *Brunckii*; recte in indice τηλεκλειτή. — Hujus rei veritatem accentus probare potest. Adjectiva enim cum -κλειτός et κλυτός composita semper ὀξυτόνως leguntur, itemque varia lectio τηλεκλητός; contra πολύκλητος (cf. Il. IV, 438. X, 420) consensu omnium librorum προπαροξυτόνως scribitur; inde colligi potest, τηλεκλειτός veram esse lectionem, non τηλεκλητός, quod in tertia a fine syllaba τηλέκλητος acuendum esset.

κόλος et **κολός** (*mutilatus*) Il. XVI, 117. Illud *Ptolem.* Ascal. et plurimi et gravissimi grammaticorum tuentur, cf. *Spitzn.* ad l. c.; hoc scil. κόλος, *Apoll.* in Lex. Hom. p. 230. et nonnullae editt. veteres.

---

*) Corrige in Hymn. ad Apoll. 31. ναυσικλειτή τ' Εὔβοια; recte in exemplo, quo utor, v. 219. ναυσικλειτῆς Εὐβοίης expressum est.

λίς et **λῖς** (leo). *Göttlingius* de accent. p. 59, et ad *Hes.* Scut. 172. λῖς cum circumflexu proscripsit ex *Aristarchi* praecepto, quo λίς, ut ἴς, θίς, ῥίς acuendum est. *Spitznerus*, qui Il. XI, 239. ob dubitationem grammaticorum nil mutare ausus est, ὥστε λῖς servavit, in annotatione autem scripturam λίς cum Aristarcho probabiliorem habet. Nuperrime autem ad Il. XV, 275. XVII, 109. ex *Lehrsii* libro doctissimo de Arist. stud. Hom. p. 266 sq. veri convictus, vocem λίς cum Aristarcho ὀξυτόνως acuit. Ceterum aliud non exstat vocabulum in ῑς, quod circumflexu instructum deprehenditur.

λιτί et **λῖτι** Il. XVIII, 352. *Aristarchus* et *Herodianus* λιτί, et sic nunc vulgo. cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 309 sq. et *Spitzn.* ad Il. l. c. *F. A. Wolf:* in Annal. liter. IV. p. 501 sqq.

μᾶζα et **μάζα** (*mamma*) *Hes.* Opp. 590. *L. Dindorfius* ad h. l. monuit, primam vocis μᾶζα syllabam natura brevem esse, et scripsit μάζα: cf. infra φύζα. Ei assentitur hac in re *Göttlingius*, qui nihilominus μᾶζα retinuit, ex *Suida* II, p. 480, colligens, syllabam μα in perfecto μέμαχα longam esse; nam *Suid.* II, p. 529. legitur: μᾶζάν γε μαμάχοντος. Et jam *Draco* Strat. p. 94. μᾶζα unice a φύζα, δίψα et aliis discedere monuit, quem sequitur *Spitznerus* in libro de vers. her. p. 36.

μύκη et **μυκή** (*mugitus*) *Apoll.* Rh. IV, 1285. Μύκη in lexicis scriptum legitur auctore *Schaefero*, qui Scholiastae Paris. ad Apoll. l. c. βαρυτόνησιν probavit. Sed teste *Wellauero* l. c. omnes codices μυκή exhibent ὀξυτόνως, quod *Arcadius* de accent. p. 106. ed. Bark. confirmat praecipiens „μυκή contra similium substantivorum analogiam ὀξύνεσθαι."

νήκης et **νεηκής**, vide **ταναήκης**.

ὅμως et **ὁμῶς** diverso pro sensu diversa ratione acuuntur. ὅμως *tamen*, quod *Wellauerus* pro ὁμῶς restituit *Apoll.* I, 405. — ὁμῶς *simul*, et saepe cum conjunctiva particula conjungitur, ut ὁμῶς καί, ὁμῶς τε. cf. *Apoll.* I, 321. 896 etc. *Wellauerus* II, 945. ὁμῶς, καί commatis distraxit contra usum et sensum; construe: ἤλαυνον πρόπαν ἦμαρ — ὁμῶς καὶ νύκτα ἐπ' ἦμαρ. Male ap. *Apollon.* I, 99. ὅμως καί pro ὁμῶς καί (*simul et*) scripsit *Brunckius.* Error migravit in edit. *Wellaueri.* Etiam πάντες saepissime cum ὁμῶς conjungitur. cf. *Apoll.* I, 475. 514. et alibi. Quoties in libris ὅμως et ὁμῶς confunduntur, nemo nescit.

κάναιθος et **καναιθός** (*splendens*). Il. XIV, 372. Proparoxytonon defenderunt *Euphranor*, (cf. Schol. ad h. l.) et *Eustath.* p. 992, 55. et editores Homeri receperunt. Ab altera parte steterunt grammaticorum nonnulli.

κάραξ et **χάραξ**, alii χαρ' ἐξ. Ultimum minus probatur;

voculae in unam vocem conflatae πάρεξ duplicem notionem pro vario tenore habent. Πάρεξ praepositionis instar cum genitivo conjungitur et idem valet quod χωρίς. Παρέξ oxytonon adverbii locum sustinet et voculam ἐκτός aequat. Ex. c. *Apoll.* Rh. I, 150. παρὲκ νόον, ib. 1315. παρὲκ βουλήν — παρέκ = contra. Vide doctam annotationem *Spitzneri* ad Il. IX, 7, qui vir Cl. in excursu XVIII. ad Iliadem p. LXVI—LXXXI. rem integram amplexus est. Cfr. quos *Göttling*, ad *Hes.* Scut. 258. citat *Diacon.* ad *Herodian.* περὶ μον. λέξ. p. 25. et *Varini* ecl. p. 342, 16. Dind. τὸ μὲν οὖν βαρυνόμενον σημαίνει τὸ χωρὶς καὶ συντάσσεται γενικῇ, οἷον πάρεξ Ἀπολλωνίου. τὸ δὲ ὀξυνόμενον ἰσοδυναμεῖ τῇ παρὰ ἢ τῇ προθέσει, ἥτις σημαίνει τὴν ἔξω σχέσιν, ὡς παρ' Ὁμήρῳ· παρὲξ ὁδοῦ ἐν νεκύεσσιν, ἀντὶ ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ καὶ παρὲξ τὴν νῆσον ἐλαύνετε. Adde *Schol.* ad *Apoll.* Rhod. II, 341.

πλαταγή et πλατάγη. *Apoll.* Rh. II, 1055. ibid. Schol. Paris. ὁ μὲν οὖν Ἡρωδιανὸς τὴν πλαταγὴν ὀξύνεσθαί φησιν ἐν τῇ καθόλου [ἐν τῷ ὄκτω τῆς καθόλου]· βέλτιον δὲ ἴσως τὴν μὲν πλαταγὴν, τὸν ἦχον, ὀξύνειν, τὴν δὲ πλατάγην, τὸ κρόταλον, παροξύνειν. *Arcad.* de accent. p. 105. cf. *Wellauer.* ad Apoll. l. c.

ποίη et ποιή (*gramen*). *Etym. M.* 677, 55. Homericis (Il. XIV, 347) ποιήν pro vulgari ποίην injungit; vulgarem tenorem defendunt praestantissimi grammatici. cf. *Arcad.* de acc. p. 100, 15. — *Lobeckius* ad Phryn. p. 496. docuit, grammaticos alius πόα alius ποιά significationis fuisse tradere; nec omnino hoc praeceptum ratione expers habet *Spitznerus* ad Il. l. c.

πολυκληΐς (*multis remis instructa*) vide §. 28. s. sq.

πρυμνός (*extremus*) adjectivum oxytonon, ut constat. cf. Il. XVI, 314. πρυμνὸν σκέλος; sed πρύμνη scil. νηῦς, *puppis* paroxytonon est.

πρωΐ et πρῶϊ (*mane, tempestive*) Il. VIII, 530. Vulgo et recte πρωΐ, apud nonnullos grammaticos πρῶϊ. Cf. *Lehrs.* Quaest. Epicc. spec. I.

πτέρυξ et πτερύξ. Illud vulgo Il. II, 316. et *Eustath.* ad h. l. p. 230, 40 sqq. et ad XXIII, 875. p. 1334, 20. *Aristarchus* scripsit ὀξυτόνως, ut significatio — τὸ μόριον μετὰ τῶν περικειμένων πτερῶν — magis in propatulo esset. Cf. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 312. Aristarchi subtilitatem respuerunt editores recentiores.

σακέσπαλος (*scutum percutiens*), vide infra annotat. p. 70.

σφῦρα et σφύρα (*malleus*) Od. III, 434. *Hes.* Opp. 425. *Hesychius* σφύρα scripsit, quocum nonnulli grammatici et lexicographi recentiores fecerunt. *Spitznerus* de vers. her. p. 33. perispomenon ratum habuit et *Göttlingius* in Hesio-

dum. l. c. σφῦραν recepit. Sine dubio Homerus Od. III, 434. σφύρην dixisset, si α longum fuisset.

τανᾳηκής et **τανᾳήκης**. Libri scripti de accentu dissentiunt; grammatici vero παροξυτόνως scribunt. Cfr. *Schol.* ad Od. IV, 257. *Eustath.* p. 664, 4. *Alexio* apud schol. *Venet.* ad Il. XIII, 391. *Aelius Dion.* apud Eustath. 939, 9. *Arcad.* de acc. p. 117, 24. — *Heynium,* qui τανᾳηκής acuit, reprehendit *Spitzn.* ad Il. VII, 77. cf. XIV, 385. Sic νεήκης XIII, 391. νεήκεσι, non νεηκέσι.

(**ταρφύς** et **θαμύς**) plur. ταρφέες et θαμέες, fem. ταρφειαί et θαμειαί (Il. I, 52.) sic *Aristarchus*, *Pamphilus* προπερισπωμένως. Haec pluralia tantum ad aliorum formas, ut πλάταιαί, ἀγυιαί etc. accedere opinatur *Lehrs.* de Arist. st. p. 268. Cf. supra §. 25, 2.

ὕψι (*alte*) Il. XIV, 77. vulgo et recte quidem; semel apud Schol. A. ὑψί. cf. *Spitzn.* ad XIII, 140.

ὑψιπέτης et **ὑψιπετής** (*altivolans*); ulterius esset pro ὑψιπετής -πετήεις. cf. *Spitzn.* ad Il. VIII, 605., et sic grammaticorum pars scripsit; at *Aristarchus* βαρυτόνησιν praetulit; cf. Il. VIII, 42. ὠκυπέτα et XII, 201 (XIII, 822) αἰετὸς ὑψιπέτης. Cf. *Eustath.* p. 899, 53. *Etym. M.* 786, 7. *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 315.

φύζα et **φῦζα** (*fuga*). Il. IX, 2. posteriorem scripturam recepit *Wolfius.* *Spitznerus* de vers. her. p. 35. a *Dracone* Strat. p. 94, 21. doctus, παροξυτόνως φύζα scribendum esse ostendit. Syllaba φυ in φύζα brevis est natura et positione tantum producta, ut δίψα. Vide *Arcad.* de accent. 96, 11. et cf. μᾶζα, μάζα.

χείμαῤῥος et **χειμάῤῥος** (*torrens*). Proparoxytonon tuetur *Etym. M.* 810, 13 sq. cf. *Lobeck.* ad Phryn. p. 235., et qui χειμάῤῥοι Il. IV, 452. in penultima tenorem erexerint, vocabulum ex χειμάῤῥοοι (cf. XIII, 138. ποταμὸς χειμάῤῥοος) contractum esse censuerunt sine ulla necessitate.

ὠμηστής et **ὠμήστης** Il. XI, 454. XXII, 67. XXIV, 282. *Tyrannio*, vocabulum ab ἔδω s. ἐσθίω compositum putans, barytonesin constituit, et *Apion* ei obsecutus est. Male. Vide *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 311. et *Spitzn.* ad Il. XI, 454. Oxytonon *Aristarchus* probavit, quem meliores secuti sunt.

ὥς et **ὧς**. De duplici hujus voculae accentu disputavit *Hermannus* de em. rat. gr. gramm. p. 111 sqq., qui ob discrimen notionis accentum varium probavit. Alii enim grammaticorum ὧς circumflexu instruxerunt, si pro ὅμως dictum est; alii, si in media enunciatione collocatur haec particula; et *Herodianus* decrevit, ὧς circumflexum suscipere, si notionem quam οὕτως vel ὅμως haberet. *Lehrsius* hanc rem denuo perscrutatus in Quaest. epicc. specim. I., ex Schol.

Venet. ad Il. VII, 31. XI, 159. ratiocinatus est, jam ante Herodianum hanc legem latam esse. cf. *Herod.* περὶ μονήρ. λέξ. p. 25 sq. οὐκ ἀγνοῶ μέντοι, ὅτι ἐν διαφόρῳ σημαινομένῳ καὶ διαφόρῳ σύνταξει ἔσθ' ὅτε περισπᾶται. *Lehrsius* pluribus argumentis nixus (cf. etiam *Apoll.* de adv. p. 582, 22.), hoc discrimen, quod grammatici inter ὡς et ὥς constituerunt, futile et sine causa effictum demonstrat.

Annot. Satis notum est grammaticorum praeceptum de adjectivis ex nomine et verbo transitivo compositis. Adjectiva enim ejusmodi, quae notionem transitivam tuentur, in *brevi penultima* acuuntur (cf. *Buttmann.* Gr. ampl. p. 373. D.), ut: πατροκτόνος (*patrem interficiens, parricida*), ἐγχεσφόρος (*hastifer*), σακεσφόρος (*scutifer*), ἱπποvόμος (*equos pascens*). Contra hanc regulam grammatici *proparoxytona* tradunt haec vocabula: ἐγχέσπαλος (*hastam vibrans*), σακέσπαλος (*scutum torquens*) et ἱππόδαμος (*equos domans*). *Buttmannus* l. c. annot. 14. accentum mutare non ausus est. *Ed. Geistius* in disquiss. Homm. IV, 1. ad Il. V, 126. verens, ne *Buttmannus* nimium traditioni veteri tribuat, quae in talibus rebus et parum ponderis habeat, neque sibi constet, scribi et pronuntiari mavult: ἐγχεσπάλος, σακεσπάλος, ἱπποδάμος, nec dubito, quin plures ei assensuri sint. In eo tamen erravit vir doctus, quum istis vocabulis πτολιπόρθος adderet, quod repugnat legi supra adscriptae. Penultima *brevis* tantum, nec producta acuitur; *Buttmannus* recte πτολίπορθος admisit, qui alteram quoque legem (adjectiva in *ultima* acuuntur, *si penultima producitur*) neglectam (in voce πτολίπορθος esse intellexit; nimirum exspectares πτολιπορθός oxytonon, ut ἱπποβοσκός, ψυχοπομπός, δεινωπός et alia.

§. 30.

De inclinatione accentus.

Cfr. *Fr. W. Reiz.*: de prosodiae graecae accentus inclinatione; cur. *Fr. A. Wolf.* Lips. 1791. 8. — *G. Hermann*: de emend. rat. gr. gramm. cap. XV. p. 67—78.

1. Inclinatio tenoris, quam Graeci ἔγκλισιν vocant, iisdem fere apud Epicos, quibus apud Atticos obnoxia fuit legibus. Veruntamen hoc monendum est, leges inclinationis accentuum in Homericis paullo latius patere.

2. Voculae, quarum tenorem Epici antecedenti voci injungere consuerant, sunt eaedem, quibus Attici pari ratione usi sunt, *particulae*, *adverbia*, *pronomina* et verborum εἰμί (*sum*) et φημί (*ajo*) formae praesentis indicativi. De pronominum inclinatione, quae satis difficilis atque intricata est, in peculiari paragrapho exponemus.

3. *Particulae*, a quibus exordimur, *encliticae* sunt τέ, τοί, γέ, πέρ, quibus *epicae* annumerandae sunt νύ(ν), ῥά, κέ(ν) et θήν. cf. Il. V, 311. καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο. ib. 426. καί ῥα etc. VIII, 448. οὐ μέν θην. Ibid. *Spitzn.* de significatione particulae θην. *Heynius* θην Il. X, 104. et XVI, 852. accentu falso instruxit. cf. *Spitzn.* ad XVII, 29. Particula νύν tenore discernitur a particula temporali νῦν (*nunc*). Plures se excipientes dictiones encliticae accentum ita sibi mutuant, ut sequens antecedenti accentum tradat et ultima sola tenore destituta sit, ut εἴπερ τίς σέ μοί φησί ποτε. *Hermanni* (de emend. rat. gr. p. 74.) sententiam, qui olim accentui tantam vim adscripserat, ut encliticam dictionem produceret, ut Il. XV, 403. εἴ κέν οἱ. cf. Od. II, 249. X, 443. obiter attigisse sufficiat. Vera autem producendi ratio est digamma, ergo: εἴ κεν Ϝοι cf. §. 3, 6. p. 9. et §. 37.

Annot. *Choeroboscus* in Hortis Adon. 229. b. etiam μέν, δέ, γάρ encliticis particulis adnumerat, quem tamen nullus Graecorum sequitur. Vide *Hermann.* l. c. p. 77 sq.

4. Particula δέ sive ζέ (σδέ), quae accusativis nominum affigitur, pari modo atque ceterae encliticae accentum inclinat, ut οἰκόνδε, Μέγαράδε, Ἄϊδόςδε, πόλινδε, δόμονδε, Ἀθήναζε. Vocabulum Οὔλυμπόνδε, quomodo plurimi scribunt, cf. *Schaefer.* in apparat. ad Demost. II. p. 247., *Göttlingius* de accent. p. 98. Οὐλυμπόνδε, omisso accentu primae syllabae Ου, scribit eosque docet, qui Οὔλυμπόνδε scribere velint, dispescere oportere particulam δὲ ab Οὔλυμπον. Vide *eund.* ad *Hes.* Theog. 397. — Accusativus Πυθώδε saepius Πυθῶδε scribitur; vide *Hes.* Scut. 480. ed. *Dindorf.*, quem secutus est, ut videtur, *Raph. Kühner* in Gramm. Gr. I. p. 71. annot. 8. *Göttlingius* de accent. p. 100. et ad *Hes.* l. c. provocans ad *Apollon.* de pron. p. 112. et *Suidam.* s. v. Πυθώδ' ἱέναι. tom. II, p. 770. ed. Kuster. Πυθώδε recte defendit. Adde *Lehrs*, de Arist. stud. Hom. p. 261. Ergo apud *Apollonium* quoque Argon. I, 209, Πυθώδε pro Πυθῶδε scribendum est. — Quandoquidem particula δε cum *pronominibus demonstrativis* iisque, quae dicuntur, *correlativis* conjungitur, accentus particulam presse praecedit, i. e. *penultima* tenore erigitur, ut:

τόσος cum δὲ τοσόςδε gen. τοσοῦδε acc. τοσόνδε, τοσήνδε
τοῖος — τοιόςδε — τοιοῦδε — τοιόνδε, τοιήνδε
τηλίκος — τηλικόςδε — τηλικοῦδε — τηλικόνδε, τηλικήνδε.

5. Particulae *loci* θε(ν), θι, σε nominibus affixae, accentum tum ante se habent, quum syllaba praecedens in ο exit, ut Κορινθόθε, Λεσβόθι, αὐτόθε(ν), τηλόθε(ν), κυκλόσε a Κόρινθος, Λέσβος etc. Excipias tamen

ἄλλοθε(ν) ἄλλοθι, ἔντοθε(ν), ἔκτοθε(ν),
παντόθε(ν) πάντοθι, πάντοσε, οἴκοθε(ν).

Sin autem alia vocalis atque *o* antecedit, accentus in illa syllaba retinendus est, quae in vocabulo primitivo tenore erecta erat, ut ἄνωθεν, ἀγορῆθεν, Τροίηθεν ab ἄνω, ἀγορή, Τροίη. Excipienda est vox una ἑκάς, unde ἕκαθεν (non ἑκάθεν).

6. Legi supra de particulis *loci* latae nomina quoque parent, quae cum syllaba φι(ν) composita sunt, ut πασσαλόφι(ν); δακρυόφι(ν), θεόφι(ν) a πάσσαλος, δάκρυον, θεός. Contra θύρηφι, ἀγέληφι, ὄρεσφι, στήθεσφι a θύρη, ἀγέλη, ὄρος, στῆθος.

7. *Verborum* εἰμί (*sum*) et φημί (*ajo*) omnes personae praesentis indicativi inclinantur, exceptis formis εἶ (*es*) et φῄς (*ais*), aut φής cf. *Etym. M.* s. v. Epicae formae εἷς et ἐσσί (*es*) sunt. Formae εἷς inclinationem, cujus patrocinium *Wolfius* suscepit, *Thierschius* probare non videtur, qui locum Od. IV, 371. XIII, 237. νήπιός εἰς in Gramm. gr. §. 298, 8. scribit νήπιος εἶς. Cf. Od. IV, 611. αἵματός εἰς, quae verba *Aelius Herodian.* περὶ μονήρ. λέξεως p. 44. ed. Dindorf. αἵματος ἧς scripsit. — De forma ἐστέ nonnulli dubitaverunt. Cf. *Eustath.* et *Schol.* ad Il. III, 280, quo loco ἔστε (imperativus) bene παροξυτόνως scribitur, ut a praesentis secunda persona (ἐστέ *estis*) discernatur, quam *Heynius* in Il. l. c. non apte recepit. Pariter atque ἔστε verbi φημί imperativum φάθι encliticis eximas; errant qui φαθί scribant. *Schol.* ad *Aristoph.* Equit. 22. *Hermannus* de emend. rat. gr. p. 68. ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστὲ Od. IX, 252. scripsit, et accentus ἀνάβασιν in significatione verborum aucta positam censet. Immo τίνες ἐστέ, quod ἐστε hoc loco est indicativus.

8. Contra legem, quae duas pressim insequentes syllabas acui vetat, nonnulla exempla et *Homeri* et *Herodoti* peccant, quae tamen auctoritate veterum grammaticorum satis nituntur. Cf. *Herodian.* in Hortis Adon. p. 224, a. G. *Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. p. 70. Exemplum, quod in Homericis bis obvium fit, legitur Il. VI, 289. Od. XV, 105.

ἔνθ' ἔσάν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι,

quo loco jam *Aristarchus* duplicem tenorem appinxit. Cf. *Spitzn.* ad Il. l. c. *Buttmannus* in Gr. ampl. I, p. 61. hanc inclinationem valde probavit, quippe quae, imprimis ubi οἱ dativus et οἱ articulus permisceri posset, ambiguitatem sensus removeret. Illa verba Homeri, si scriberes ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι, intelligere posses: *ibi erant vestes* (*die* Gewaender), quorum verus sensus est: ibi erant *illi* vestes. Cf. *Herod.* II, 172. ἐν τῷ αὐτός τε ὁ Ἄμασις καὶ οἱ δαιτυμόνες οἱ πάντες τοὺς πόδας ἑκάστοτε ἐναπενίζατο, i. e. οἱ δαιτυμόνες αὐτῷ πάντες etc.

9. Hic denique monenda sunt haec. *Arcadius* περὶ τόνων ed. Bark. p. 140. docet, vocabula circumflexu in penultima instructa, quae exeunt in ξ et ψ, encliticarum bisyllabarum

tenorem respuere, ut κῆρυξ ἐστὶ et φοῖνιξ ἐστὶ, non κηρύξ ἐστι et φοινίξ ἐστι. Exempla autem, quae exstant, ad voces solas modo allatas pertinent. Quarum syllaba υξ quum longa sit, id quod ex genitivis κήρῦκος, φοίνῖκος apparet, praestantius habetur voces illas in penultima *acuere* quam περισπωμένως scribere; unde recte se habet accentus encliticae κήρυξ ἐστὶ et φοίνιξ ἐστί. Cf. *Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. p. 71. *Buttmannus* in Gramm. ampl. I, p. 61. annot. 1. praepropere Arcadii regulam ad monosyllabas quoque encliticas referens, scribi jubet ὁμῆλιξ μοῦ, sine veterum grammaticorum auctoritate. Antea jam *Hermannus* l. c. p. 71. idem ratiocinatus est, qui scripsit ἄνδρά μοῦ. „Μοῦ enim, ait, ut circumflexus indicat, non potest non longam syllabam habere." Sic ἔστιν οἷ, οὗ τινός, φῶς μοῦ. Sed ipsi viro sagacissimo haec scriptio difficilis et dura visa est nec non ambigua in *Soph.* Trach. 669. ἔργον τῷ pro ἔργου τῳ i. e. τινί.

§. 31.

De pronominum inclinatione.

Cfr. *G. Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. cap. XVI, p. 78—82. *Thiersch.* Gramm. gr. §. 205. — *Rud. Skrzeczka*: de tenoris inclinatione pronominum primae et secundae personae pluralium; in Lips. Annall. phill. et paedagg. Supplem. Vol. I. fasc. IV. p. 541—558.

1. Formae pronominum personalium, inclinationi obnoxiae, hae fere sunt.

Singul.

1. pers.	2. pers.	3. pers.
G. μεῦ	σεῦ, σέο	εὗ, ἕο, ἕθεν (*ejus*)
D. μοί	σοί, τοί	οἷ, σφι(ν) *ei.*
A. μέ	σέ	ἕ, σφί(ν) *eum*, σφέ

Dual.

—	—	G. σφωΐν
—	—	A. σφωέ (nunquam σφω, at σφω', ante vocalem. cf. *Spitzn.* ad Il. XVII, 531. σφώ est i. q. ὑμεῖς s. ὑμᾶς δύο.

Plural.

N. —	—	— neutr. σφέα
G. —	—	σφέων
D. ἧμιν, ἄμμι(ν)	ὗμιν ὔμμι(ν)	σφίσι(ν), σφί(ν), φί
A. ἧμας	ὗμας	σφέας, σφάς, ntr. σφέα.

2. De usu inclinationis harum formarum in proxima, quae sequitur, paragrapho disseremus; nunc plura de his pronominibus addenda sunt.

3. Formae *genitivi tertiae personae* εὗ, ἕο, ἕθεν ex praecepto *Apollonii* de syntaxi 2, 20. p. 148. ed. Bekk. tum modo tenorem inclinant, quum pronomen non ad personam, de qua sermo est, refertur, sed ad alium quempiam pertinet et notionem *ejus*, *illius* habet. Sin autem, ut latinum *sui*, *ipsius* ad subjectum, quod dicitur, pronomen spectat, semper tenore erigitur. *Spitznerus* igitur, qui hanc legem retulit,

Il. I, 114. ἐπεὶ οὔ ἑθέν ἐστι χερείων.
— III, 128. οὓς ἕθεν εἵνεκ' ἔπασχον.
— IX, 419. μάλα γάρ ἕθεν — χεῖρα ὑπερέσχε (ita jam *Wolfius*)

reposuit, quibus in versibus ἕθεν eandem fere notionem quam αὐτοῦ habet.

4. Pariter *dativus* οἷ ab inclinatione abest, si quando pro ἑαυτῷ, nec pro αὐτῷ sumendus est, ut Il. IX, 392.

ὅστις οἷ τ' ἐπέοικε,

ubi *Heynius*, *Wolfius* et alii ὅςτις οἵ τ' ἐπέοικε legerunt. *Hermannus* de emend. rat. gr. Gr. p. 74. ratum habuit

ὅστις ἑοῖ τ' ἐπέοικε.

Hujus conjecturae egregiae nuper *Spitznerus* in edit. Iliadis l. c. testimonio *Apollon.* de pron. 314. b. de syntax. II, 19, 145. *Eustath.* p. 758, 16. fidem fecit. At non opus est ὅστις ἑοῖ, sed ὅστις οἷ, quia digamma dictionis οἷ, Ϝοῖ syllabam antecedentem producit.

5. Forma σφίν *singularis numeri* duobus modo in locis reperitur, Hymn. *Hom.* XVIII, 19. σὺν δέ σφιν et XXX, 9. βρίθει μέν σφιν ἄρουρα. Cf. *Buttm.* Lexil. I. p. 60. Alibi σφίν est dativus pluralis.

6. Formae *plurales* σφέα, σφίσι(ν), σφέας etc. sine exceptione inclinantur, sicuti et *duales* σφωέ, σφωΐν. Ex. c.

Il. I, 8. τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ξυνέηκε μάχεσθαι

quo loco *Heynius* falso σφῶϊ scripsit.

Od. VIII, 317. ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξαι.

Est vero notandum, formam σφώ Homeri nunquam fuisse nisi ὀρθοτονουμένην et alterius personae, ergo σφώ i. q. ὑμεῖς s. ὑμᾶς δύο. cf. Schol. *A* ad Il. X, 546, cujus verba *Spitznerus* ad Il. XVII, 531. laudavit. *Buttmann.* in gramm. ampl. §. 72. annot. (I, p. 292.) et Lexil. I, p. 61. Adde Schol. *Venet.* ad Il. XV, 146., qui etiam praecipit, formam σφώ inclinationis expertem esse. Verba Iliad. l. c. sunt:

Ζεὺς σφὼ εἰς Ἴδην κέλετ' ἐλθέμεν ὅττι τάχιστα.

Il. XI, 782. σφὼ δὲ μάλ' ἠθέλετον,

ubi *Ernestius* et alii male ι subscripserunt σφῷ.

Recte igitur *Spitznerus* Il. XVII, 531.

εἰ μὴ σφῶ' Αἴαντε διέκριναν μεμαῶτε.

defendit ab altera lectione veterum et recentiorum editt. σφῶε Αἴαντε sive σφωὲ Αἴαντε.

7. Vocula σφέας, quae Il. V, 567. correpta occurrit, nunc σφάς scripta est a *Spitznero*, praeeunte *Buttmanno* in Lexil. I. p. 60. — Num σφᾶς dictum fuerit pro σφέας et recte circumflexu notetur, dubitavit *Spitznerus* de vers. her. p. 190. Cf. *Heyn.* ad Il. tom. V, p. 108. et supplem. p. 712. *Buttm.* in Lexil. l. c. et Gramm. ampl. I. p. 296, 17. et *Skrzeczka* l. c. §. 5. (p. 547. in fascic. Annall. Lipss.), qui circumflexum defendunt. Haec tradit *Apollon.* de pron. p. 127. ἡ σφᾶς ἔσθ' ὅτε συστέλλει τὸ α κατ' ἔγκλισιν, συζύγως τῇ μηδ' ἡμᾶς ἐν τῷ· μέγα δὲ σφᾶς ἀποσφήλειε πόνοιο. Ab initio versus σφάς semel tantum obvium fit apud *Apoll.* Rh. II, 259. et recte, ut videtur, *Wellauerus* circumflexum pronomini imposuit.

8. *Pronomina pluralia primae et secundae personae* ἡμῖν, ἡμᾶς et ὑμῖν, ὑμᾶς, quum duabus syllabis longis aut quatuor temporibus constent (τετράχρονοι), tenorem antecedenti vocabulo tradere nequeunt, ideoque eum in priorem syllabam remittunt. *Arcadius* de accentu p. 145. αἱ μὲν οὖν τετράχρονοι τῶν ἐγκλιτικῶν ἐπὶ τὴν πρώτην συλλαβὴν ἑαυτῶν τὴν ἔγκλισιν ἀναπέμπουσιν, ὡς μηδεμιᾶς δεόμενα παρατηρήσεως τῶν πρὸ αὐτῶν λέξεων. Quibus ex verbis satis apparet, pronomina pluralia praegressi vocabuli rationem in inclinando habere nullam. Cf. *Eustath.* ad Od. I. p. 1407, 48. — *Hermannus* de em. rat. gr. Gr. p. 78 sq. pronomina pluralis numeri secundum easdem leges, quas ceteris encliticis praescriptas scimus, inclinari praecepit et disertis verbis demonstravit, ἧμιν et ὗμιν scriptum fuisse, quandoquidem ultima corriperetur. *Fr. A. Wolfius* ante insequentem literam consonam pronomina acuit, ut Il. I, 379.

σοὶ δ' ἥμιν δαῖτα ταράξῃ,

ante vocalem aut in fine versus circumflexu instruxit. Cf. Il. I, 583. XVII, 415. 417. *Imm. Bekkerus* in censura Homeri ed. Wolf. p. 166., quem *Thierschius* Gramm. gr. §. 205, 18, 2. et *Spitznerus* *) in edit. Iliadis secuti sunt, in fine versus ἧμιν et ὗμιν scribi jubet. *Aristarchus* tamen ἥμιν praetulit ad Il. I, 503. et *Eustath.* ad Od. I. p. 1407, 40. tradit: ὅτι τὸ ἡμῖν καὶ ἡμῶν καὶ ἡμᾶς ἐγκλίνονται μὲν παρὰ τοῖς παλαιοῖς· οὐκ ἀνακλίνουσι δὲ ἑτέρᾳ λέξει τὸν τόνον, ἀλλ' ἀναπέμπουσιν εἰς τὴν οἰκείαν παραλήγουσαν. οἷον ἧμιν ἧμων, ἧμας. ὥςπερ καὶ ἐνταῦθα πολλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχουσιν· οὐδέ τις ἧμιν θαλπωρή. Plura testimonia adhibuit *Hermannus* l. c. — *Skrzeczka*, qui accurate de hac tenoris inclina-

*) Errore tantum typothetae in Iliade a *Spitznero* edita VII, 352. ἥμιν pro ἧμιν legitur, nec credam, editorem sibi inconstantem fuisse.

tione disseruit in Annalibus Lipss. supra laudatis, pronomina inclinata ubique περισπωμένως scribenda esse contendit teste *Apollonio* de pron. p. 123 sq. *Eustath.* ad Od. XVII, 376. et XX, 272. *Etym. M.* s. v. ἄμμι et *Charace* in Bekkeri Anecdot. p. 1150., cujus verba tamen obscuriora sunt, quam ut satis cognosci ex iis possit, num pronomina illa acuenda an circumflexu instruenda sint. Praeter horum grammaticorum consensum circumflexui patrocinatur, quod cum inclinatione pronominum correptio ultimae syllabae conjuncta est, quam evincunt *Apollonius* de pron. p. 120. ἡμῖν τὸ ἐγκλινόμενον κατ' Ἴωσι συστέλλει τὸ ι. Cf. p. 124. 125. 127. *Charax* l. c. *Eustath.* ad Od. X, 563. XVII, 376. XX, 279. *Arcad.* de accent. p. 148. Quibus testibus nixus *Skrzeczka* l. c. §. 2. (p. 543. in Annall. Lipss.) legem tulit: „apud Homerum quidem pronomina pluralia primae et secundae personae praeter genitivum sensu *enclitico semper trochaico, orthotonumena spondeo numero* efferri.“

Annot. 1. Locos, quibus ἡμῖν et ὑμῖν orthotonumena occurrunt, accurate collegit *Skrzeczka* l. c. §. 3. (p. 543 sq.)

1) ἥμιν προπερισπωμένως scriptum obvium fit in Od. VIII, 569. IX, 844. X, 568. XIII, 177. XVII, 375. XX, 272. Il. XVII, 415. 417. — Ultima versus parte pronomen continetur Il. I, 588. VII, 352. Od. I, 166. *Wolfius* Il. I, 579. legit ἥμιν δαῖτα ταράξῃ, *Spitznerus* ἡμιν reposuit, quod jam Skrzeczka proposuit l. c. §. 4. (p. 545). Hoc versu excepto ἥμιν tenore inclinato in solis versibus deprehenditur, in quibus trochaei metrum postulatur. De aliis versibus, quibus ἡμῖν cum orthotonesi adhuc inest, barytonesis autem praeferenda videtur, vide *Skrzeczk.* l. c. §. 4.

2) Idem vir doctus pluribus locis inclinatum ὑμῖν, quod nuspiam in Homericis retracto tenore (ὕμιν, ὔμιν) scriptum occurrit, reddere conatus est. *Fr. Thiersch.* Gramm. Gr. §. 205, 18. b) Il. XIV, 482.

φράζεσθ'; ὡς ὑμῖν πρόμαχος δεδμημένος εὕδει

scribere mavult cum *Bekkero* in recens. Iliad. ed. Wolf. p. 157. ὡς ὔμιν, quod codicum unus ὔμμιν praebet, et secutus est *Spitznerus*.

Annot. 2. Accusativum ἥμας cf. Od. XVI, 372. defendit jam *Apollon.* de pron. p. 127.; at ὔμας nuspiam in Homericis reperitur; *Bekkerus* tamen in censura Hom. ed. Wolf. ad Od. XII, 163. pro ὑμέας proposuit ὔμας.

9. *Haec de Homericis.* Quod ad *Apollonium* Rhod. attinet, is formam ἡμῖν et enclitice et ὡρισμένως usurpatam corripere solet in ἡμίν (–⏑). Cf. Argon. I, 420. 897. II, 606. 767. 1047. 1278. III, 483. 487. 1111. At vero forma ἡμῖν deprehenditur II, 414. 882. Hinc colligere possumus, a poetis

epicis seriorum temporum non encliticam tantum formam, sed pro metri utilitate etiam diastalticam, ex more Atticorum (vide *Thiersch.* Gr. §. 243, 35.) correptam esse.

Apoll. I, 897. λίπε δ' ἥμιν ἔχος.

— IV, 451. τὸ γὰρ ἥμιν ἐπισχερὼ ἦεν ἀοιδῆς.

Ad hunc locum *Wellauerus* Brunckium et qui hunc sequutus est Beckium vituperavit ob acuendi rationem, et ἥμιν textui inseruit. Etiam I, 420.

νῦν δ' ἴθι καὶ τήνδ' ἡμὶν, Ἑκήβολε δέξο θυηλήν

scribendum erit ἥμιν, quum ἡμῖν θυηλὴν δέξο idem sit, quod ἡμετέρην θυηλὴν δέξο; dativus enim pronominis personalis, quod possessivi instar adhibetur, recte inclinatur. Vide §. 32. p. 79. Nec non II, 1181. pro πατέρ' ὑμὶν emendes πατέρ' ὕμιν. — Triplicem igitur apud Apollonium habemus ἡμιν acuendi rationem: primum ἡμῖν, quae est forma vulgaris et plena; deinde ἡμίν, quam formam trochaicam pro metri ratione sibi indulserunt poetae recentiores; denique ἥμιν, quae est forma enclitica.

10. Formis *aeolicis* ἄμμι(ν) et ὔμμι(ν) Homerus pro metri ratione usus esse videtur. Vide *Skrzeczka* l. c. §. 6. (p. 548 sqq.). Quando quidem neque ἡμῖν, ὑμῖν ad metrum, neque ἥμιν, ὕμιν inclinato tenore ad sensum quadrarent, poeta ad dialecti aeolicae formas ἄμμι et ὔμμι confugit, quae teste *Apollonio* de pron. p. 123. tam encliticae quam vi quadam pronuntiatae eundem accentum in penultima servant. Αἰολεῖς ἄμμι· ἀλλά τις ἄμμι δόμων τοῦτο ἦν καὶ τὸ ἄμμι δ' ἀρήγει, ὁμόλογον ὅτι κἂν ὀρθοτονῆται μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τάσιν ἔχει. Locos, in quibus ἄμμι pro ἡμῖν dictum est, collegit *Skrzeczka* l. c. (p. 550.); in quibus ἄμμιν occurrit, hos enumerat: Od. II, 334. pro ἥμιν. XXII, 262. ubi ἡμῖν proposuit, comparans Od. I, 10. εἰπὲ καὶ ἡμῖν; et Il. XIII, 379. semper in exitu versus. Il. XIV, 84. in medio versu et Il. X, 70. pro ἄμμιν restituit ἥμιν. — Forma ὔμμιν sensu pleno pro ὑμῖν *ter* legitur: Il. XIII, 95. Od. III, 220. XI, 336. *Octies* ὔμμιν enclitice legitur pro ὕμιν, quam formam Skrzeczka, aeolica ὔμμιν expulsa, reducendam putat. Idem Od. I, 373. XII, 272. ὕμιν pro ὑμῖν legendum esse censet; IV, 94. in exitu versus ὔμμιν (enclitice) pro ὕμιν reponi jubet, et I, 376. II, 141. IV, 415. ὕμιν effingit pro ὑμῖν, varia lectione ὔμμιν adductus. Sed verendum est, ut hoc recte fiat; nam ὑμῖν vi quadam sensus verbis praemittitur, quibuscum pronomen conjungitur. Omnino de harum formarum usu, quum in Homericis nondum satis perspectus sit, optime nobis consulitur, ante omnia librorum meliorum auctoritatem pluris aestimare, quam qualemcunque conjecturam veterum grammaticorum consensu destitutam.

11. Quod ad *genitivum* ὑμέων pertinet, uno tantum loco Il. XV, 494. reperitur:

— — ὅς δέ κεν ὑμέων
βλήμενος ἠὲ τυπεὶς θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ

Schol. A pronomen ὑμέων intellexit ἀπολύτως (cf. §. 32. p. 79.) et anastropham praecepit, scribens ὕμεων; neque absona haec ratio est habenda. *Spitznerus* Homeri editor sagacissimus ipse non sprevit scholiastae doctrinam, aliorum tamen verecundia se deterreri passus est, quo minus in textum reciperet ὕμεων. Quo tamen modo dativos ἥμιν et ὕμιν anastrophae obnoxios vidimus, eodem ὑμέων obnoxium illi fuisse vix dubitandum est.

12. Pronomen *indefinitum* αὐτός uno modo in loco Il. XII, 204. (cf. ibid. *Spitzner.*) accusativum αὐτόν inclinat.

κόψε γάρ αὐτον ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρήν.

Αὐτόν encliticum significat *eum*, non *ipsum*. Editores Homeri priores hanc inclinationem spreverunt, quam ipse *Eustath.* p. 899, 52. non agnoscit. *Heynius* conjecit κόψε ἓ αὐτὸν ἔχοντα. Alii rem diligentius considerantes, inprimis praecepto *Apollonii* de pron. p. 293. a. 337. c. ducti, jure meritoque tenorem antecedenti vocabulo tradiderunt. Praeter Apollonium idem tradunt *Charax* in Aldi Hortis Adon. p. 226. a. b. et *Ael. Herod.* p. 238. a. cf. *Wolfius* in praef. ad Hom. Il. p. 46. *Hermannus* de emend. rat. gr. Gr. p. 88. 101. et de pron. αὐτός p. 65 (Opuscc. tom. I. p. 330 sq.) etiam aliis versibus, in quibus αὐτός occurrit, inclinationem pronomini vindicare studuit, et excepto nominativo etiam reliquis casibus eandem quam accusativo inclinationem censet tribuendam, ut Il. III, 25. XV, 43. XVIII, 269. Od. IV, 110. VIII, 347. IX, 205. XVII, 367. XXI, 196 etc. Quocum vero Homeri editores nondum fecerunt; repugnant etiam grammatici, ut *Charax* et alii, qui haud inepte id causae proferunt, ἐκεῖνος, οὗτος (?) αὐτοῦ, αὐτῷ enclisi destitui, quod τετράχρονοι sunt; et accentum, quem nonnulli ad normam pronominum ἧμιν, ὗμιν retrahunt αὗτου, αὗτῳ, αὗτον, cautus *Charax* retrahi vetat, ne forma inde enascatur aeolica.

§. 32.

De usu inclinationis pronominum.

1. Pronominum formae, quas encliticas cognovimus, num inclinandae an tenore erigendae sint, et a sensu et a verborum connexu atque collocatione dependet. Plura enim pronomina, ut σοῦ, σοί, σέ, σύ, ἕθεν, οἱ etc. pariter absolute atque personae cuidam objecta et adstricta usurpari possunt. Pro varia ratione aut inclinationem sibi postulant aut spernunt

2. Pronomina duo aut plura quum sibi opponuntur (ἀντιδιαστολή), per se patet, his tantam vim inesse, ut tenore erigenda sint. *Charax* in Hort. Adon. p. 228. b. εὐλόγως ὀρθοτονοῦνται (scil. αἱ ἀντωνυμίαι), ἐπειδὴ ἀντιδιαστολὴν πάντη εἰσφέρουσιν αὗται αἱ συντάξεις. Sin autem pronomina, nulli personae adstricta, libere ac solute efferuntur (ἀπολέλυται), pronominum formae enclisi obnoxiae necessario tenorem inclinant.

3. De *pronomine absoluto* (ἀντωνυμία ἀπόλυτος) et *pro nomine certae personae opposito* (ἀντωνυμία ὡρισμένη s. διασταλτική) eximia qua solet perspicuitate disseruit *Spitznerus* ad Il. XI, 383. Cf. etiam *Apollon.* de pron. p. 304. b. Num pronomen ἀπολύτως an διασταλτικῶς intelligendum sit, veteres grammatici et scholiastae considerate meditari solebant, et de probabili sententia dijudicaverunt aut: ἐγκλιτέον aut: ὀρθοτονητέον. Cf. Il. III, 446. ὥς σεο νῦν ἔραμαι. His verbis adscripsit schol. *Venet.* ὥς σεο· ἐγκλιτέον· ἀπόλυτον γάρ ἐστιν;

contra ad Il. XIV, 328. ὥς σέο νῦν ἔραμαι adscripsit idem scholiasta: σέο· ὀρθοτονητέον· ἀντιδιαστολὴ γὰρ πρὸς ἄλλα πρόσωπα. Inde satis apertum fit, idem pronomen pro vario sensu et verborum connexu modo inclinari modo tenore erigi. Verumenimvero quum non solum personarum certarum oppositus inclinationem tollat, sed aliae quoque caussae pronominibus tenorem servandi exstent, ante cetera regulas enumerabo, secundum quas pronominum inclinatio cessaverit.

A. *Inclinatio cessat.*

I. *Ab exordio versus* aut *post interpunctionem* inclinatio cessat et propter vocis intentionem, qua lector versum novum incipit, et propter absentiam alicujus vocabuli, quod tenorem suscipere queat. Cf.

Il. V, 405. σοὶ δ' ἐπὶ τοῦτον.
- ib. 490. σοὶ δὲ χρὴ τάδε πάντα.
- III, 323. ἡμῖν δ' αὖ.
- VI, 409. σεῦ ἔσομαι.
- IV, 174. — Ἑλένην· σέο δ' ὀστέα πύσει ἄρουρα.

Apollonius de pron. p. 385, 5. incertum *Hesiodi* locum affert.

σφὶν δ' αὐτοῖς μέγα πῆμα

et initio versus pronomen tenore erigi jubet. *Thierschius* Gramm. Gr. §. 204., 9. hunc versum eundem esse censet, quem in *Hes.* Opp. 56. (non 46.) nunc ita legimus:

σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.

Quomodo autem vir clarissimus inde colligere potuerit, etiam

Il. III, 454. ἶσον γάρ σφιν, V, 195. παρὰ δέ σφιν et alibi σφὶν recto accentu scribendum esse, quum in Homericis plura vocabula pronomen antecedant, non liquet.

II. Post *exclamationem* aut *vocativum* formae encliticae pronominum locum non habent, quod interpunctione verba sejunguntur. Exstat tamen exemplum Il. XIX, 287.

Πάτροκλέ, μοι δειλῇ

nisi legendum est: Πάτροκλ', ἐμοὶ δειλῇ, ut nobis videtur.

III. *Praepositio* cum pronomine conjuncta tenorem pronominis non excipit, ut praecipit *Charax* in Hort. Adon. p. 228. b. αἱ προθέσεις ὀξυτονοῦνται καὶ ὅμως αἱ μετὰ τούτων ἀντωνυμίαι ὀρθοτονοῦνται· περὶ μοῦ, κατὰ σοῦ, μετὰ μοῦ; σὺν μοί, ὑπὲρ μοῦ (scribe: περὶ ἐμοῦ, μετὰ ἐμοῦ, σὺν ἐμοί, ὑπὲρ ἐμοῦ). Hujus accentus ratio nititur potiori notione pronominis, cujus causa praepositio additur, nec vice versa praepositionis causa pronomen. Exempla sunt

Il. IV, 497. ἀμφὶ ἓ παπτήνας.
- V, 343. ἀπὸ ἕο.
- IX, 97. ἐν σοὶ μὴν λήξω.
- XXI, 174. ἐπὶ οἷ.

et multa alia. Cfr. Schol. ad Il. I, 368. *Charax* l. c. verbis laudatis addit: καὶ αἱ (ἀντωνυμίαι) μετὰ τοῦ οὕνεκα καὶ ἕνεκα ὀρθοτονούμεναι· ἕνεκα σοῦ, οὕνεκα σοῦ, ἕνεκεν σοῦ· ἃ κακῶς ἐγκλίνουσί τινες.

IV. *Pronomen* αὐτός, quod Aristarchus ἐπιταγματικόν dicit, efficit *ut pronomen personale* ὀρθοτονουμένως *efferatur*. Cfr. *Apollon.* de syntax. II, 18. p. 137. ed. Bekk. *Lehrs.* Quaest. epicc. specim. I. p. 30. *Bekker.* in cens. Hom. ed. Wolf. p. 164. *Spitzn.* ad Il. IX, 249. 521. 681. — Pronomen αὐτός, ut constat, et ante personam et post eam collocari potest. Indicio sunto

Il. IX, 42. εἰ δὲ σοὶ αὐτῷ. cf. ibid. Spitzn.
- ib. 249. αὐτῷ σοὶ μετόπισθ'. *Wolf.* αὐτῷ τοι μετ.
- ib. 521. οἵτε σοὶ αὐτῷ. *Wolf.* σοι.
- ib. 680. αὐτὸν σὲ φράζεσθαι. *Wolf.* αὐτόν σε.

Cf. IX, 324. XVII, 687., quo loco *Hermannus* Opusc. I, 328. haud bene σε inclinavit, XIX, 416. XXIV, 312. Od. III, 49. IV, 601. VI, 39. X, 300. XVII, 583. *Apoll.* Rh. III, 99. ἑοὶ αὐτῇ et scribendum est

Od. V, 187. μήτι σοὶ αὐτῷ pro σοι αὐτῷ
- ib. 190. οὐδ' ἐμοὶ αὐτῷ pro οὐδέ μοι αὐτῷ.

Cfr. *Nitzsch.* ad Od. V, 187. Etiam Od. VIII, 396. scribendum erit

Εὐρύαλος δὲ ἓ αὐτὸν ἀρεσσάσθω

pro Εὐρ. δέ ἑ αὐτόν. Apud *Apoll.* III, 34. εἰ δέ σοι αὐτῇ scribe

εἰ δὲ σοὶ αὐτῇ, et III, 1113. ἤ αὐτήν με ταχεῖαι ὑπὲρ πόντοιο φέροιεν - ἀέλλαι, quod *Wellauerus* contra fidem optimorum codicum in textum recepit, viro sagaci libenter reddo, et cum *Brunckio* lectionem vulgatam ἢ αὐτήν γε i. e. ἔμεγε defendo. De pronomine αὐτός, quod modo ἐγώ, modo σύ, modo ὅδε significat, alio loco docebitur.

Sunt vero loci, in quibus αὐτός minus cum pronomine substantivo, quam cum infinitivo verbi conjungendum sit, ut Il. X, 242.

εἰ μὲν δὴ ἕταρόν γε κελεύετέ μ' αὐτὸν ἑλέσθαι,

i. e. si me jubetis, *ipsum eligere* socium. cf. Od. IV, 118. *Heynius* ad Il. X, 242. scripsit κελεύετ' ἔμ' αὐτὸν ἑλέσθαι, quod minus probatur. Cf. *Spitzn.* ad l. c. — *Apoll.* Rh IV, 1351 sq. καί μ' ἐκέλοντο

αὐτόν τ' ἔγρεσθαι ἀνά θ' ὑμέας ὄρσαι ἰόντα.

V. *Pronomen personale, quum vi quadam effertur, recto tenore pronuntiandum est.* Exempla sunt

Od. III, 50. τοὔνεκα σοί ... cfr. *Nitzsch.* ad Od. III, 50.
- ib. 53. οὕνεκα οἷ ... pro οὕνεκά οἱ. cf. etiam supra p. 74.

Il. I, 396. πολλάκι γὰρ σέο, non γάρ σεο.
- V, 117. νῦν αὖτ' ἐμὲ φῖλαι; sic *Spitzn.* pro αὖτέ με φῖλαι.
- VI, 206. Ἱππόλοχος δ' ἔμ' ἔτικτε pro δέ μ' ἔτικτε. cf. p. 83.
- ib. 56. ubi *Wolf.* ἤ τοι; *Spitzn.* c. *Heynio* ἤ σοί scripserunt.
- VIII, 482. οὐ σεῦ ἔγωγε, non οὔ σευ.

De *antidiastola* jam supra p. 79. diximus. Cf. Il. II, 27. ὅς σεῦ ἄνευθεν; sic enim *Spitznerus* scripsit, quia Jupiter et Agamemno sibi opponuntur. Cf. V, 56. VI, 409. XVIII, 77. XIX, 185. Cum antidiastola componi possunt enunciationes, quibus *comparativus* inest; persona comparata tenore elevatur et pronomen orthotonumenon scribendum est.

Il. II, 201. οἳ σέο φέρτεροί εἰσι. cf. ib. v. 248.
- ib. 239. ἕο μέγ' ἀμείνονα φῶτα.
- VII, 111. σεῦ ἀμείνονι φωτί.

Secundum hanc legem *Thierschius* Gramm. Gr. §. 205, 13.

Il. XV, 165. ἐπεὶ εὖ φημι βίῃ πολὺ φέρτερος εἶναι

scribi jussit ἐπεὶ εὖ φημὶ βίῃ, comparans v. 181., cui obedivit Spitznerus in editione sua, quod *Heynius* jam monuit. — Etiam pronomina, quibus particulae sensum augentes et acuentes, ut γέ (cf. *Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. p. 76.) πέρ, δέ, μέν affiguntur, inclinatione abstinent. Verba igitur ut μή σε γε non μή σέ γε, sed μή σέ γε acuenda sunt. Cf.

Od. I, 386. XXIII, 14. οἵ σέ περ, nec οἵ σέ περ.

Od. VIII, 488. ἢ σέγε Μοῦσ' ἐδίδαξε, Διὸς παῖς, ἢ σέγ' Ἀπόλλων.

Re ita se habente, diligenter locos consideres, quibus inest

μηδὲ μέ γε
οὐδὲ μέ γε
οὔτε μέ γε,

qui emendandi sunt μηδ' ἔμεγ', οὐδ' ἔμεγ', οὔτ' ἔμεγ'. Cf. Il. IX, 315.

οὔτ' ἔμεγ' Ἀτρείδης, vulgo οὔτε μέ γ' Ἀτρείδης.

Brunckius falso in *Apollonii* Argonauticis μηδὲ ἔμε et καὶ δ' ἔμε constanter pro μηδέ με et καὶ δέ με scripsit, quem errorem *Wellauerus* correxit. Cf. *Apoll.* I, 467. II, 219. 425. 844. III, 551. 729. 975. 982. IV, 370. 747, 1014. et alibi.

B. *Inclinatio locum habet.*

Inclinatio pronominum locum habet, si formae encliticae ἀπολύτως, i. e. libere atque absolute efferuntur. Vide supra pag. 79.

I. *Genitivus pronominum* μεῦ, σεῦ, σέο, εὗ, ἕο, ἕθεν inclinationem admittit, simulatque notio hujus pronominis vice pronominis *possessivi* fungitur, ut πατήρ μευ i. e. ὁ ἐμὸς πατήρ. Forma longior σεῖο pro σέο in hac constructione mutanda erit in σοῖο (a σός, σή, σόν) Il. XVIII, 335. XXIV, 286. Priori loco Codex *Harlej.* σοῖο offert.

Pronomen autem nomini, quocum conjungendum est, praepositum, inclinationis expers est, ut Il. IV, 174.

σέο δ' ὀστέα πύσει ἄρουρα.

Quod naturae rei convenit; pronomen enim nomini sibi adstricto tenorem tum tradere potest, quum nomen praecedit; quod si antecedit, pronomen, quod non procliticae locum sustinet, tenore erigendum est. Etiam pronomen post nomen suum positum non inclinatur, si pluribus vocabulis a nomine sibi conjuncto sejungitur. Verbum autem nunc pariter ad nomen atque pronomen pertinet. Il. XV, 76. ἤματι τῷ, ὅτ' ἐμεῖο θεὰ Θέτις ἥψατο γούνων, i. e. Θέτις ἥψατο ἐμεῖο καὶ γούνων, ideoque ἐμεῖο, nec μευ dictum est.

II. *Dativus pronominum* μοί, σοί, τοί, οἷ inclinatur, si notio est *possessiva*.

Il. I, 104. ὄσσε δέ οἱ ἐΐκτην i. e. *oculi ejus*.
- ib. 188. ἐν δέ οἱ ἦτορ - μερμήριξε.

Od. II, 411. μήτηρ δ' ἐμοί mutandum est in μήτηρ δέ μοι, quum pronomini nulla alia facultas insit nisi possessiva. Dativus quoque *commodi* et *incommodi* inclinatur, cf. Od. II, 306.

ταῦτα δέ τοι μάλα πάντα τελευτήσουσιν Ἀχαιοί,

nec non dativus *ethicus*. Od. II, 303 sq.

Τηλέμαχ' ὑψαγόρη, μένος ἄσχετε, μή τι τοι ἄλλο
ἐν στήθεσσι κακὸν μελέτω ἔργον τε ἔπος τε,
ἀλλά μοι ἐσθιέμεν καὶ πινέμεν, ὡς τὸ πάρος περ.
Apoll. IV, 759. εἰ δ' ἄγε — δεῦρο Θέτιν μοι ἄνωχθι μολεῖν.

Rem tetigisse sufficiat; exempla in carminibus epicis exstant innumerabilia.

III. Accedat observatio *Vossii*, quam recentissimi grammatici comprobaverunt. Si quando quidem plenior forma pronominis personalis praecesserit, idemque pronomen paulo post redeat, haec altera forma est enclitica; ita ut v. c. formas ἐμοῦ, ἐμοί, ἔμε, σέγε etc. sequantur μου, μοι, με, σε. cf. *J. H. Voss.* ad hymn. in Cerer. 44., qui plura exempla congessit. Ex. c.

Od. III, 205 — 207. αἲ γὰρ ἐμοί — οὔτε μοι. ib. V, 199.
- X, 375. ἐνόησεν ἔμ' ἥμενον — κράτερον δέ με πένθος ἔχοντα. cf. XII, 160. XIV, 202. XVIII, 56.
- XI, 399. ἠὲ σέγ — ἠέ σ' ἀνάρσιοι.

Qua lege *Vossius* Od. XI, 406. οὔτε μέ γ' — οὔτε μ' recte correxit οὔτ' ἔμεγ' — οὔτε μ', et *Spitznerus* eum sequens Il. VI, 206 sq. scripsit:

Ἱππόλοχος δ' ἔμ' ἔτικτε — με — μοι

pro vulgari Ἱππόλοχος δέ μ' ἔτικτε. Cf. p. 81.
Il. X, 448. ἀλλ' ἐμὲ μὲν — ἠέ με δήσαντες, pro ἢ ἐμὲ δήσαντες.

§. 33.

De anastropha s. inclinatione praepositionum.

Cfr. *Reiz*: de accent. inclin. (cf. §. 30.) — *G. Hermann*: de emend. rat. gr. Gr. lib. I. c. XXI. p. 101 — 109. *Wagner* in libro de accent. cf. (§. 25.) §. 73. 85. — *Fr. A. Wolf*: in praefat. ad Odyss. ed. anno 1794. p. XX sq. — *C. D. Ilgen*: praef. ad Hymn. Hom. (1796) p. XXIII sqq. — *Buttmann*: Gramm. ampl. II. p. 299 sq. — *K. Lehrs*: Quaestionum epicarum specimen I. Regiomonti. 1825. pag. 12 — 24.

1. Verborum collocatio, in qua praepositio aut particula ὥς (vide §. 35. p. 101.) nomini sibi conjuncto postponitur, a grammaticis veteribus ἀναστροφή appellata est. Cf. *Gregor.* Cor. in Jon. 49. et *Schol. vulg.* ad Il. I, 162. ᾧ ἔπι, ἐφ' ᾧ ἀναστροφὴ ὁ τρόπος. ἀναστροφὴ δέ ἐστι δύο λέξεων τάξις ἐνηλλαγμένη, οἷον λέων ὥς, ὡς λέων κ. τ. λ. Alii grammatici non hanc verborum collocationem, sed tenoris retractionem, quae inde sequitur, nomine anastrophae significabant, quod minus placet. cf. *Schol.* ad Il. II, 6. 150. 162. 292. 839. etc. *Etym. M.* s. v. ἀπό. p. 124, 18. ἀναστροφή ἐστι μετάθεσις τόνου.

2. Jam veteres grammatici quaestionem posuerunt, cur prae-

positionibus tantum, et ne his quidem omnibus, neque aliis vocabulis sive nominibus sive verbis anastropha sit propria. Quibus *Apollonius* Dyscolus haec fere respondet: praepositionibus locum esse ante nomina et verba, unde nominis originem duxerunt; alia vocabula, quibus non minus certa sedes in oratione convenit, transponi non posse veluti praepositiones; deinde praepositiones, quippe quae non omnes in anastropha collocarentur, cum pronominibus comparandas esse, quarum alia enclitica, alia encliseos expertia esse; praepositiones denique et cum nomine et cum verbo collocari posse; itaque indicandum esse, utrum praepositio ad nomen aliquod, an ad verbum pertineat.

3. Praepositiones enim, quae ut procliticae tenoris vim cum sequente nomine quasi communicant, si quando post nomen collocantur, tenorem ab ultima in penultimam retrahunt, ut is nomini quam proximus sit, ut *δῆμον κάτα, πατρὸς πάρα*, pro *κατὰ δῆμον, παρὰ πατρός*. Hanc inversam tenoris collocationem meliores grammatici *ἀνάβασιν*, neque *ἀναστροφήν* nominant. Praepositiones, quae in anastropha tenorem in penultimam transmittunt, animadvertas:

ἄπο, ἔνι, ἔπι, κάτα, ὕπο, πάρα, πέρι, ὕπερ.

Pauca exempla omnium instar sunto.

ἔνι. Il. IX, 53. *πολέμῳ ἔνι κάρτερός ἐσσι.*
- XIV, 141. *ἐπεὶ οὔ οἱ ἔνι φρένες οὐδ' ἠβαιαί.*
Apoll. II, 256. *μή μοι ταῦτα νόῳ ἐνιβάλλεο. Wellauerus*, ut sensum dubium removeret, ita emendavit:

μή μοι ταῦτα νόῳ ἔνι βάλλεο

ne mihi haec animo tuo volvas; illud significaret: ne mihi haec in animum meum injicias.

ἔπι. Il. I, 162. *ᾧ ἔπι.*
- VII, 63. *πόντον ἔπι φρίξ*; nec *ἐπιφρίξ* aut *ἐπὶ φρίξ*. Cf. *Spitzn.* ad h. l. et in Excursu XIV.
- XVII, 45. *Wolfius ἀσπίδι ἐν κρατερῇ*; *Spitznerus*, qui dativi terminationem *ι* elidit (cf. Excurs. VI. ad Il. II, 713), scripsit *ἀσπίδ' ἔνι κρατερῇ*; sed typothetarum incuria expressum est *ἀσπίδ' ἐνὶ κρατερῇ*.
- XVII, 368. *μάχης ἔπι.*
Apoll. Rh. I, 639. *τοῖόν σφιν ἔπι δέος ἠωρεῖτο.*
- - IV, 1406. *κεφαλαῖς ἔπι χεῖρας ἔχουσαι.*

4. Dicendi rationem *ἐπίηρα φέρειν* omnes fere libri atque grammatici veteres tuentur; *Buttmannus* vero in Lexil. I. p. 149—158. ratum fecit, *ἐπὶ ἦρα φέρειν* esse scribendum et tmesi declarandum *ἐπιφέρειν ἦρα*. Neque aliter possum, quin huic sententiae exemplis et argumentis satis firmatae accedam et mirer, cur *Spitznerus* in recensione Iliadis non

cum Buttmanno fecerit. Ἐπὶ ἦρα enim pro ἐπίηρα occurrit Od. III, 164 (cf. XVI, 375. XVII, 56. Il. XIV, 132)

αὖτις ἐπ' Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἦρα φέροντες

nullo modo dissecari posset, si vera forma esset composita ἐπίηρα; et apte Buttmannus sensit, praepositionem ad nullum casum nominis pertinentem semper adverbii vicem sustinere. cf. §. 34. Scribendum igitur erit:

Il. I, 572. μητρὶ φίλῃ ἔπι ἦρα φέρων λευκωλένῳ Ἥρῃ.
- ib. 578. πατρὶ φίλῳ ἔπι ἦρα φέρειν Διί....

Locos omnes, quibus ἐπίηρα φέρειν inest, diligentius consideranti hoc quoque illucescit, semper dativum adesse, quocum ἐπί conjungere licet; et jam φέρειν dativum personae sibi postulat, cui ἦρα offeruntur. Neutiquam igitur ἐπίηρα cum Homeri editoribus comprobaverim. Aliter res se habet apud poetas atticos, ut *Sophoclem* Oed. R. 1095 (Herm. 1087)

ὡς ἐπίηρα φέροντα
τοῖς ἐμοῖς τυράννοις,

qui morem Epicorum, praepositionem magis sui juris habendi, spreverunt. Sed apud ipsum *Apollonium*, qui Homeri vestigia premit, et simplex ἦρα IV, 406.

Κόλχοις ἦρα φέροντες

agnoscit, ἔπι ἦρα φέρειν praeferendum est vulgari ἐπίηρα φέρειν. cf. IV, 375.

ὄφρ' ἔπι ἦρα φέρωμαι ἐοικότα μαργοσύνῃσιν,

ut *Brunckius* jam exaravit. At vide *Wellauerum* ad h. l., cui Buttmanni l. c. disputatio persuadere non potuit. Nuperrime *Spitzneri* ipsius doctrina in *Excurs.* XX. (ad Il. X, 351 sqq.) a Buttmanni sententia desciscere me denuo vetuit. Quo enim modo ἔπι - ἦρα φέρειν se habet, eodem ἔπι - οὖρα πελέσθαι. Recte Spitznerus l. c. vulgarem scriptionem ἐπίουρα spernendam rejiciendamque esse, constituit, et vellem in textu recepisse virum ingeniosum, quomodo in Excurs. laud. p. XC. inclinato tenore dedit:

ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀπέην, ὅσσον τ' ἔπι οὖρα πέλονται
ἡμιόνων.

De dicendi ratione ὅσσον ἔπι seu τόσσον τ' ἔπι vide Spitzn. l. c.

κάτα. Od. I, 247. Ἰθάκην κάτα κοιρανέουσιν. Cf. ibid. Nitzsch.
Il. V, 162. ξύλοχον κάτα βοσκομενάων.

Bothius in edit. sua Iliadis praepositionis et verbi consociationem reducere studuit, Il. IV, 130 cum *Veneto* connectens διακοιρανέοντα, pro δία κοιρανέοντα (vide infra); XII, 318. κατακοιρανέουσι pro κάτα κοιρανέουσι etc. quod mi-

nus probatur. Recte jam *Spitznerus* in Obsерvv. ad *Quint.* Sm. p. 229. praepositionem κατά a verbo separat et ad nomen praegressum adstringit. cf. *Quint.* Sm. V, 299.

(Χήνεσιν) ἤϊσεν πεδίον κάτα βοσκομένοισιν.

cf. Il. V, 162. Od. IX, 217. Recte *Wellauerus* ad Apoll. IV, 1113. pari modo

ἀμφίπολοι δέσποιναν ἐὴν μεταποιπνύουσαν

mutavit in ἐὴν μέτα ποιπνύουσαν, quod verbum μεταποιπνύειν nusquam reperitur. — *Quint.* Sm. VII, 545.

ὡς δ' ὅτε παιπαλόεσσαν ὁδὸν κάτα ποσσὶν ἰόντες

pro κατὰ ποσσὶν ἰόντες. cf. Od. XVII, 204.

πέρι. *Hes.* Theog. 559. πάντων πέρι μήδεα εἰδώς.
Apoll. Rh. III, 866. ὀδύνῃ πέρι i. e. *prae* dolore.
ὕπερ. *Apoll.* Rh. II, 362. τῆς καὶ ὕπερ.
– – ib. 396. ὧν ὕπερ ἤδη. 634. ψυχῆς ὕπερ.

Librariorum incuria saepius anastropha neglecta est et plures locos *Quinti* Sm. emendavit *Spitznerus* in Obss. ad Quint. p. 230. Etiam

5. Praepositio, quae ad plura nomina pertinet, quorum alterum antegreditur praepositionem, haud minus inclinatur, ut Il. XIV, 146.

φεύγοντας προτὶ ἄστυ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων.

et tenorem retrahit praepositio, etiamsi aliis vocibus a nomine sejungatur, ut Il. IV, 97.

τοῦ κεν δὴ πάμπρωτα πάρ' ἀγλαὰ δῶρα φέροιο.

6. Si quando praepositio caesura primaria a nomine suo sejungatur, viri docti anastropham admitti non concedunt. Cf. *Gerhard.* lectt. Apoll. p. 132. Cui obtemperans *Wellauerus* Apoll. I, 94. lectionem vulgatam

Πηλεὺς δὲ Φθίῃ | ἔνι δώματα ναῖε λιασθείς

et IV, 1689.

κεῖνο μὲν οὖν Κρήτῃ | ἔνι δὴ κνέφας ηὐλίζοντο
ἥρωες

caesurae causa mutavit in Φθίῃ ἐνὶ -ναῖε, Κρήτῃ ἐνὶ - ηὐλίζοντο. Sed cf.

I, 121. *Aiolίδης* σταθμοῖσιν | ἐν Ἰφίκλοιο Μελάμπους.
II, 381. δουρατέοις πύργοισιν | ἐν οἰκία τεκτήναντες,

quibus locis ἐν cum dativo conjungatur et ἔν acuatur necesse est. Sic I, 755.

τὸν δὲ μεγαδρομαδὴν | ἔπι Μύρτιλος ἤλασεν ἵππους,

neque ἐπί scribas; conjungendum est ἐπὶ τὸν Μύρτιλος ἤλασεν ἵππους. Ratum igitur habemus, *Apoll.* I, 94. IV, 1689. ἔνι pro ἐνί retinendum esse. Jam Homerica exstant exempla, quae nos docent, versui non damno fuisse, si praepo-

sitio post nomen collocata caesura sejungeretur. cf. Il. XIII, 762. (cf. XIV, 65. XV, 248. 603.)

ἀλλ' οἱ μὲν δὴ νηυσὶν | ἔπι πρύμνῃσιν Ἀχαιῶν.

XIV, 7. θερμήνῃ καὶ λούσῃ ἄπο βρότον αἱματόεντα,

ubi ἄπο a verbo separatum βαρυτόνως proferendum est. Adde XV, 335. 343.

7. Cur praepositiones ἀμφί, ἀντί, διά, ἀνά et formae diductae ὑπαί, διαί, παραί etc. inclinationi restiterint, quaeri potest. Quod ad Διά pertinet, veteres grammatici hanc proferunt causam, ne Δία praepositio cum Δία accusativo nominis Ζεύς confundatur. Vide Schol. *Venet.* ad Il. XVII, 322. *Apollon.* de synt. IV, 2. p. 304. Locos exscripsit *Hermannus* in libro de emend. rat. gr. Gr. p. 105, quem sis consulas. — Pari modo praepositionem Ἀνά critici noluerunt ἄνα scribere, quia permisceri posset cum ἄνα vocativo ab ἄναξ (*rex*) aut cum ἄνα (*surge!*) i. q. ἀνάστηθι. Cf. Schol. *Ven.* ad Il. V, 824.

8. Tali confusione nos angamur vix necesse est, et cum *Thierschio* Gramm. Gr. §. 279, 8. inclinationem defendam. Quamquam *Aristarchus* Il. V, 824. μάχην ἀνὰ κοιρανέοντα praetulerit, alii tamen μάχην ἄνα κοιρανέοντα scripserunt, et grammaticorum pars ἄνα pro ἀνά re vera in anastropha exhibuerunt. Non falso igitur ἄνα inclinatur, quod rei naturae convenit; nec non διά, quamquam contra decreta grammaticorum, qui tamen nullam nisi permiscendi rationem effinxerunt, in anastropha δία scribendum erit, et *Hermannus* l. c. p. 107. grammaticorum futiles subtilitates spernens, omnibus bisyllabis praepositionibus, quae quidem utramque syllabam brevem habeant, anastropham vindicandam esse recte censuit. Ergo scribas Il. IV, 230.

πολέας δία κοιρανέοντα pro διὰ κοιρανέοντα.

cf. V, 232. πόλεμον κάτα κοιρανέοντα. ib. 824. XII, 318. Qui enim διά cum verbo conjungunt nec cum πολέας, ii melius scriberent διακοιρανέοντα; quod tamen sensui minus conveniret. Cf. supra p. 85. fine.

Hes. Opp. 3. ὅντε δία βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε.

Apoll. Rh. I, 9. Χειμερίοιο ῥέεθρα κιὼν δία ποσσὶν Ἀναύρου.

Διά neque cum ποσσίν neque Ἀναύρου committi potest. Locum *Arati* Phaen. 334.

ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ στίχας ὀξὺς ἀΐξας

non cum *Buttmanno* Gramm. ampl. II. p. 302. interpreter ἔκρινε διά i. e. διέκρινε, sed potius διὰ στίχας ἀΐξας; stellarum enim atque fulminum motus indicatur verbo διαΐσσω, ut ἀστραπὴ διάττουσα *fulmen quod celeriter per coelum fertur*; ἀστέρες διάττοντες *stellarum trajectiones.*

9. Praepositiones ἀντὶ et ἀμφὶ et ὑπαὶ, παραὶ etc. ex grammaticorum praeceptis propterea tenorem non retraxerunt, quod τρίχρονοι (- ◡ i. e. ◡◡◡) sunt. Similia de pronominibus ἡμῖν et ὑμῖν encliticis vide supra §. 31. p. 75. Sed dubitari potest, num satis recte haec de his praepositionibus disputata sint. Grammaticis quidem adstipulatus est *Hermannus* de em. rat. gr. Gr. p. 105., concessit tamen, vocali elisa finali, praepositiones ἀμφ' et ἀντ' verbo postpositas tenore erigendas atque scribendas esse ἄμφ' et ἄντ', et pariter δί' pro δι', ut

Il. X, 83. νύκτα δί' ὀρφναίην.

Exarandum igitur esset Il. XVI, 825. πίδακος ἄμφ' ὀλίγης pro vulgari ἀμφ'. Sed verendum est, ne viri egregii, qui merito saepe in futiles grammaticorum subtilitates invehit, ipsius mentem subierit subtilitas. Jam *Etymol. M.* auctor p. 406, 14. laudat *Apollon.* Rh. Arg. II, 811. δαῖτ' ἄμφι πανήμεροι ἑψιόωντο, et a *Brunckio* et *Wellauero* haud immerito receptum est. Cf. *Apoll.* Rh. I, 120. τῆς ἄμφι. II, 216. Φοῖβον τ' ἄμφι λίσσομαι. Etiam II, 450. scribendum est: τὸν δ' ἄμφι περικτίται ἠγερέθοντο pro τὸν δ' ἀμφί. Nec, si quidem *Spitznerus* ad Il. VIII, 163. compositionem ἀντιτέτυξο et ἀντικεφάσθαι recte sustulerit, dubito, quin Il. VII, 163. XIII, 447. XIV, 471. scribendum sit

γυναικὸς ἄρ' ἄντι τέτυξο
τρεῖς ἑνὸς ἄντι πεφάσθαι.
Προθοήνορος ἄντι πεφάσθαι.

At cf. *Spitzneri* Excurs. XVII. ad Il. VIII, 233. qui ἀντί inclinari non concedit, et ἀντί et ἄντα usu et vi aliquanto discrepare existimat.

10. *Praepositiones elisione decurtatas*, ut ὑπ', παρ', κατ' inclinari veterum grammaticorum nonnulli vetant. Schol. *Venetus* ad Il. IV, 97.

τοῦ κεν δὴ πάμπρωτα παρ' ἀγλαὰ δῶρα φέροιο

adscripsit: τινὲς ἀναστρέφουσι τὴν παρά κακῶς· οὐδεπότε ἀναστρέφεται πρόθεσις γενικῇ συνταssομένη πτώσει. *Aristarchus* autem, ne praepositio nomini consocianda cum verbo jungeretur, ad Il. XVIII, 191. praepos. πάρ' tenore erexit.

στεῦτο γὰρ Ἡφαίστοιο πάρ' οἰσέμεν ἔντεα καλά.

Hunc grammaticorum principem secutus est *Spitznerus*, qui Il. IV, 97. tenorem retraxit: τοῦ — πάρ' ἀγλαὰ κ. τ. λ. cf. Il. II, 150.

νῆας ἔπ' ἐσσεύοντο pro ἐπ',

ad quem locum *Thierschius* in Gr. gr. §. 279, 8. monuit, nisi ἔπι inclinaretur, dativum νηυσὶν ἐπεσσεύοντο exspectandum esse. Idcirco equidem scribere mallem

Od. VIII, 14. πόντον ἔπι πλαγχθεὶς quam ἐπιπλαγχθείς,

et V, 175.

τὸ (scil. λαῖτμα θαλάσσης) δ' οὔτ' ἔπι νῆες ἐΐσαι ὠκύποροι περόωσιν,

pro ἐπί. cf. IV, 709. περόωσι δὲ πουλὺν ἐφ' ὑγρήν. — Accentu appicto ἔφ' scripsit editor recentissimus Iliadis

II, 616. ὅσσον ἔφ' Ὑρμίνη καὶ Μύρσινος ἐσχατόωσα,

„quantum *agri* Hyrmine et Myrsinus extrema includunt." *Spitzn.* Jam *Heynius* ἔφ' scripserat, comparans Od. V, 251.

τόσσον ἔπ' εὐρεῖαν σχεδίην ποιήσας Ὀδυσσεύς,

et Hymn. in Apoll. 45.

τόσσον ἔπ' ἰαδίνουσα Ἑκήβολον ἵκετο Λητώ.

Bentlejus Il. II, 616. correxit ὅσσους δ' Ὑρμίνη, sine caussa. — Si *Vossius* ad Hymn. in *Cer.* 338. recte emendavit

Od. VI, 127. θάμνων ὕπ' ἐδύσατο pro ὑπεδύσατο

et XX, 53. κακῶν δ' ὕπο δύσεαι pro ὑποδύσεαι,

etiam VIII, 475. νώτου ἄπο προταμών pro ἀποπροταμών emendandum est, et Il. XVI, 794. καναχὴν ἔχε ποσσὶν ὕφ' ἵππων pro ὑφ'.

11. Quae de praepositionibus *elisione* curtatis exposita sunt, eadem valent ad praepositiones *per apocopam* mutilatas, ut κάδ, κάρ, πάρ, ἄν etc. cf. κὰγ γόνυ, κὰδ δ' ἄρα, κὰμ μὲν, κὰπ πεδίον etc. De praepositione ἀν, ut ἀμ βωμοῖσι, grammatici haesitaverunt; ex ceteris autem praepositionibus et analogiae lege satis certe ratiocinari possumus, ἄν acuendam esse. Cf. etiam *Eustath.* ad Il. p. 1048, 25. *Ephem. literr. Halenss.* 1829. tom. III, p. 740. *Wolf.* in praef. ad edit. nov. p. 84., quem merito secutus est *Spitznerus* in sua Iliadis editione. cf. *ejusd.* dissert. de vi et usu praeposs. *ANA* et *KATA* ap. Hom. Viteb. 1831. p. 25.

12. *Buttmannus* in Gramm. ampl. II. p. 296. ex analogia praepositionis ἐν pro ἐνί formam ἀν pro ἀνά rectius tenore privari constituit, ergo ἀμ βωμοῖσι, ἀμ πεδίον etc. Et revera in omnibus fere libris ἀν, ἀμ, καδ, καμ, παρ plerumque ἀτόνως scribuntur. cf. *Spitzn.* ad Il. III, 261. Verum enimvero praepositionis tenor proprius *in stirpe* quiescit, ergo ἄνα, κάτα, πάρα etc., qualem in anastropha videmus, et tum demum ad ultimam progreditur, quum nomen sibi conjunctum praepositionem sequatur. cf. ἀνὰ μάχην κοιρανέοντα et μάχην ἄνα κοιρανέοντα. Sin autem ultima syllaba per apocopam absorbetur, ἀν(ά), nihil naturae rei magis convenit, quam ut tenor retrogradiatur. Praepositio enim, qualiscumque sit, non tantilla est, ut tenoris expers esse queat tanquam proclitica ἀ (privat.) ἐρι etc. Ergo scribendum erit ἂμ βωμοῖσι, ἂμ πεδίον, ἂν λειμῶνα (Hymn. in Cer. 175.). — Nonnulli criticorum praepositionem cum nomine committunt, et inter recentissimos *Bothius* in editione Iliadis; qui ἀμβωμοῖσι, ἀλλειμῶνα, ἀμπεδίον exprimendum curavit. At

jam *Aristarchus*, *Chrysippo* praeeunte, praepositionis a nomine disjunctionem commendavit. Cf. *Etym. M.* 81, 51. et *Schol.* ad *Soph.* Oed. Tyr. 16.

13. Haud aliter judicandum est de usu praepositionis ἂν decurtatae apud *Apollonium* Rhodium, et recte *Wellauerus* Argon. I, 127. ἂμ μέγα τῖφος. ib. 166. ἂμ πόλιν etc. reposuit pro vulgari ἀμμέγα, ἀμπόλιν. Sed miror, quod Vir Cl. cum *Brunckio* scripsit καδδ' pro κὰδ δ'. cf. I, 434. 565. II, 91. 931. III, 725. Etiam si ambas voculas committere libuisset, tamen accentum detrahere non debuisset. Cf. Apoll. I, 434.

καδδ' ἄμυδις τά γε πάντα καλύψαντες πύκα δημῷ.

Hoc minus accentu carere potest praepositio, quum hoc loco adverbii vice fungatur et cum καλύψαντες construenda sit.

14. Etiam ἄνα = ἀνέστη decurtatur. cf. Apoll. I, 494.

ἂν δὲ καὶ Ὀρφεύς i. e. ἀνέστη δὲ καὶ Ὀρφεύς.

Hanc lectionem vulgatam, quae exemplis Homericis defendi potest, *Wellauerus* reduxit. At quum versus sequens male cum his verbis colligetur, *Wellauerus* ad conjecturas *Piersoni* et *Brunckii* suam adjecit, quam conferas ad l. c. Si conjicere licet, de meo hanc propono emendationem, quae unius modo literae mutatione efficitur nec male sensum adjuvat. Nimirum Idas et Idmon verbis se lacerant et lis inde suborta esset:

εἰ μὴ δηριόωντας ὁμοκλήσαντες ἑταῖροι
αὐτός τ' Αἰσονίδης κατερήτυε· νῦν (sic) δὲ καὶ Ὀρφεὺς
λαιῇ ἀνασχόμενος κίθαριν πείραζεν ἀοιδῆς.

Nam *KATEPHTYENYN* facile depravari poterat in κατερήτυεν ἄν.

15. Si quando praepositio nomini substantivo et adjectivo interjicitur, quaeritur, utrum tenor in ultima an in penultima praepositionis collocandus sit. Jam veteres grammatici in hac re litigaverunt et diversas leges tulerunt. Cfr. *Lehrs.* in Quaestionn. epicar. specim. I. *Schol.* ad Il. II, 389. *Ptolemaeus* Ascalonita et *Nicias*, grammatici, ab adjectivis et appellativis (πρὸς τὰ προςηγορικώτερα) inclinationem tenoris dependentem fecerunt; nam praepositionem ante adjectivum sive nomen appellativum collocatam, in ultima acuerunt, ut μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ, Il. II, 839. ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος. *Aristarchus*, cui recentiores grammatici plerumque obsecuti sunt (cf. *Reiz.* de inclin. accent. p. 122. *Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. p. 108 sq. *Wolf.* praef. ad Odyss. p. XX.), in primam syllabam tenorem retraxit, si praepositio *post* nomen substantivum; tenoremque in ultima retinuit, si *ante* nomen substantivum collocata est, ut Od. VI, 89. ποταμὸν πάρα δινήεντα; contra δινήεντα παρὰ ποταμόν. Il. II,

839. ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος. cf. V, 479. XV, 531. *Thierschius* Gramm. §. 279, 9. mavult ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος, quod Aristarchi lege: πᾶσα πρόθεσις μεταξὺ κυρίου καὶ ἐπιθετικοῦ τῷ κυρίῳ ἕπεται, praepositio *ante nomen proprium* non inclinatur. Σελλήεντος autem appositionis instar sequitur verba ἀπὸ ποταμοῦ, et scribendum erit ποταμοῦ ἄπο Σελλήεντος. Teste Scholiasta ad Il. XVIII, 64. Aristarchus Il. XIII, 696. γαίης ἀπὸ πατρίδος scripsit. Rectius tamen γαίης ἄπο πατρ. scribitur. Sic *Apoll.* III, 57. ποταμῷ ἔνι Φασίδι pro ἐνί, et *Callias* poeta, cujus verba Schol. ad Apoll. III, 41. laudat, νήσῳ ἔνι Λιπάρῃ. Adde Apoll. II, 765.

Κύζικον ἄμφι Δολιονίην,

ubi *Wellauerus*, quia alias ἄμφι post nomen collocatum inclinat (vide supra pag. 87.), ἀμφί male scripsit. Alia lex est *Aristarchi* ad Il. XVIII, 191., quae praecipit, ut accentus inversio cesset, simulatque praepositio cum verbo conjungitur. Secundum quam legem *Wolfius* et *Spitznerus*

Il. II, 374. χερσὶν ὕφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσα
- X, 22. ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο

scripserunt. Concedamus quidem Aristarchi legem ut veram (vide infra §. 34. p. 92.), vix tamen his locis eam recte usurpatam esse putamus. Sine dubio praepositio cum nomine, non cum verbo committenda est, et multi, ni fallor, mecum ab Heynii partibus stabunt, qui Il. II, 374. χερσὶν ὕφ' ἡμετέρῃσιν scripsit; altero loco vulgo ὑπαί legitur. cf. IV, 291. XIII, 816. De praepositione ὑπό cum dativo alio loco disseremus. Magna adhuc in scriptorum editionibus hac in re inconstantia regnat. Cf. *Spitznerum* in Observv. ad *Quint.* Sm. p. 230., qui plures locos in Posthomericis emendavit; et *eundem* ad Il. IV, 423., ubi pro

Ζεφύρου ὑποκινήσαντος

pluribus grammaticis id suadentibus Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος reposuit. Miror, quod *Spitznerus* Il. XV, 555.

οὐχ ὁρόᾳς οἷον Δόλοπος πέρι τεύχε' ἕπουσιν

praetulit περὶ — ἕπουσιν, potissimum quum περιέπειν sit verbum Homero inusitatum. Πέρι ad nomen referendum est, etiamsi *Ptolem.* Ascal. et *Herodianus* contradicunt. — *Herodianus* denique hoc decrevit, praepositionem aut substantivo aut adjectivo *post*positam, sine exceptione inclinandam esse. Herodiano assentitur *Apollonius* Alex. Hanc enim rationem protulerunt, quod nomen substantivum et adjectivum unam quasi tantum notionem continerent, et praepositionis propria sedes ante ambo nomina esset. Quanquam infitias ire nequimus, hanc regulam fortasse laxiorem esse, tamen constantiae laus

ei concedenda est, quae magis placet, quam subtiles leges Aristarchi, quae certo fundamento carent.

Hucusque de praepositionis anastropha diximus, quae tum locum habet, quum praepositio post *nomen* collocatur. Sed aliud quoque genus inclinationis praepositionum exstat, si quando praepositio *adverbii* munus suscipit.

§. 34.

De inclinatione praepositionum, quae adverbiorum locum sustinent.

1. Saepe praepositiones *adverbiorum* partibus funguntur, et tum quidem, quum *absolute* i. e. nulli nomini adhaerentes usurpantur, ut ἄπο pro ἄποθεν, ἔνι pro ἔνθα, πέρι pro περισσῶς s. περὶ ἄλλων, ἔπι pro ἔπεστι etc. πρός, ποτί et προτί *insuper*, *praeterea*. Il. XIII, 678. XVI, 86. et cf. *Spitzn.* ad XVI, 504. fine. In hoc casu praepositio semper βαρυτόνως acuitur. *Aristarchus* quidem praepositionem adverbialem non cum anastrophe pronuntiavit, cf. Schol. ad Il. XVIII, 64; multi vero alii eam ratam habuerunt cf. *Schol.* ad IV, 77. VI, 40. Schol. ad *Dion.* Gr. p. 931. *Eustath.* p. 166, 29. *Schaeferi* Meletem. p. 52. Cf.

Il. XIII, 799 sq. αὐτὰρ ἔπ' ἄλλα et αὐτὰρ ἔπ' ἄλλοι, pro ἔπ'.
Od. VI, 40. πολλὸν γὰρ ἄπο πλυνοί εἰσι πόληος,
i. e. πολλὸν ἄποθεν τῆς πόλεως οἱ πλυνοί εἰσί.
Od. VIII, 563. — — — οὔτε ποτέ σφιν
οὔτε τι πημανθῆναι ἔπι δέος, οὔτ' ἀπολέσθαι,
nunquam iis *adest* metus, ne pereant.

Od. I, 66. ὃς πέρι μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν, πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν
— — ἔδωκε;

πέρι hoc loco i. q. περισσῶς, *praecipue*, *ante omnes alios* mortales diis sacra fecit. cf. Od. II, 88. XI, 550. XIV, 146. Il. XVII, 278 sq.

— — — πολλὰ γάρ σφεας ὤκ' ἐλέλιξεν
Αἴας, ὃς πέρι μὲν εἶδος, πέρι δ' ἔργα τέτυκτο
τῶν ἄλλων *Δαναῶν*.

At cf. *Spitznerum* ad h. l., qui docuit, veteres grammaticos nunquam πέρι μέν — πέρι δέ scripsisse, tamen dubitasse, utrum περί ad verbum, an ad nomen pertineret.

Apoll. I, 670. πέρι δὲ μενέαιν' ἀγορεῦσαι, *valde* cupiebat concionari.

Apoll. II, 241. Omnes heroes sollicitudo ceperat, πέρι δ' αὖτε δύω υἷας Βορέαο i. e. περὶ ἄλλων, *imprimis* autem filios Boreae.

Anastropham sustulit *Spitznerus* Il. IV, 257. (cf. V, 225. VIII, 27.): περὶ μέν σε τίω *Δαναῶν*,

quia περί ad Δαναῶν referendum est. cf. *ejusd.* dissert. de accent. inclin. praepos. *ΠΕΡΙ.* p. 5. Quum vero περί a verbo pluribus vocabulis disjunctum sit, πέρι melius βαρυτόνως acuitur. *Heynius* Il. XI, 395. scripserat

οἰωνοὶ δὲ πέρι πλέες ἠὲ γυναῖκες,

πέρι explicans περίεστιν, quod *Spitzner.* soloecum habet, qui et Heynii scripturam, et grammaticorum περίπλεες respuens, cum *Wolfio* lectioni περὶ πλέες patrocinatur.

Annotat. Vocula περί, adverbii loco περισσῶς usurpata, saepissime cum *comparativo* vel *superlativo* vel *adjectivo* πάντες conjungitur et in hoc casu in penultima acuenda est, ut

Apoll. IV, 1031. ὦ πέρι δή μέγα φέρτατοι. cf. ibid. 1383.
- I, 101. ὅς πέρι πάντας — ἐκέκαστο.
- I, 138. ὅς πέρι πάντας ἐκαίνυτο ναυτιλίῃσιν.

Pari modo II, 567. pro πάντῃ δὲ περὶ μέγας ἔβρεμεν αἰθήρ scribatur πάντῃ δὲ πέρι *ueberall ringsum.* Sed

Apoll. I, 65. — — — ὃν περὶ πάντων
Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας οἰωνῶν.

non πέρι cum codice Vratislav. et *Brunckio*, quem *Beckius* secutus est, sed περί scribendum et praepositio cum πάντων construenda est. Cf. II, 179. περὶ δὴ πάντων, non πέρι, quod dederunt Stephanus, Brunckius, Beckius.

2. Exemplum praepositionis ὕπο legitur

Il. V, 862. τοὺς δ' ἄρ' ὕπο τρόμος εἶλεν.

Wolfius dedit ὑπὸ-εἶλεν; sed Schol. ad h. l. adscripsit: βαρυτονητέον τὴν ὑπό. παρέλκεται γάρ. cf. Il. X, 95.

τρομέει δ' ὕπο φαίδιμα γυῖα,

tremuerunt *infra* (inferiore corporis parte) genua. Vide *Buttm.* Gramm. ampl. II. p. 299. — Recte ἀπό cum nomine conjungitur

Il. V, 322. νόσφιν ἀπὸ φλοίσβου.

Varia lectio νόσφιν ἄπο φλοίσβου male se habet. Pari modo Il. X, 324. pro:

οὐδ' ἀπὸ δόξης

in nonnullis libris, editionibus antiquis et *Etym. M.* p. 283, 18. οὐδ' ἄπο δόξης legitur et per ἄποθεν *procul ab opinione* explicatur; sed adverbium ἄπο hic locum habere nequit, et ἀπὸ δόξης tuentur *Apollon.* Lex. Hom. p. 324. et *Eustath.* 808. 37.

3. Praepositio ἀπό in oratione quoque pedestri pro vario sensu modo ὀξυτόνως modo παροξυτόνως a recentioribus grammaticis scribitur, docentibus, scriptionem vulgarem ἀπό vulgarem habere significationem *a, ab, de, ex;* scriptionem ἄπο, inverso accentu, *procul, remotum* (ab aliqua re). Cfr. *Buttmann.* Gramm. II. p. 302. *Passov.* in Lexic. s. v. ἀπό. I. p. 259, b. Schol. *Venet.* ad Il. IX, 353. At scriptio ἄπο

semper adverbii est, ut ἔξω ab ἐξ, nec praepositionis. cf. *Eustath.* ad Il. p. 186, 32. Anecd. Gr. ed. Bekk. I. 425, 25. Indicio esto:

ἀπό τινος γεγονέναι natum esse *ab* aliquo
ἄπο τινὸς γεγονέναι *procul* esse ab aliquo. *Xen.* Memor. I, 2, 25.

ἀπὸ γνώμης *ex*, *de* opinione
ἄπο γνώμης *contra* opinionem.

ἀπ' ἐλπίδος *a* spe
ἄπ' ἐλπίδος *procul* a spe, contra spem.

4. Praepositio ergo nomine carens, quocum construi possit, semper adverbii vice fungitur et in penultima acuenda est. Mira igitur est βαρυτόνησις praepositionis περί, quae cum κῆρι conjungitur, πέρι κῆρι Il. IV, 46. 53. XIII, 119. 430. Od. V, 36. VI, 148. VII, 69. XV, 245. XIX, 280 et alibi. *Spitznerus* Il. IX, 117. emendationem *Thierschii* ὃν Ζεὺς πέρι κῆρι pro ὅν τε Ζεὺς κῆρι, quam *Nitzschius* ad Od. V, 36. probavit, bono judicio refutavit. — Omnes fere viri docti, inter quos *Heynius* et *Wolfius*, praepositionis βαρυτόνησιν receperunt, quam *Nitzschius* V. Cl. l. c. tom. II. p. 8 sq. multis verbis defendit, praeeunte *J. H. Vossio* in annott. ad Hymn. in *Cer.* 430. *Spitznerus* nuper ad Il. IV, 46. ostendit, veteres grammaticos omnes ac singulos olim lectum περὶ (sic) κῆρι suo comprobasse assensu. Vide *eund.* in dissert. de inclin. accent. praep. ΠΕΡΙ p. 6 sq. Vir clarissimus comparat Il. XVI, 157. περὶ φρεσὶ et *Quint.* Sm. I, 75. περὶ φρεσὶ τυτθὸν ἰάνθη. Jam quaeri potest, unde venerit illa accentus inversio πέρι κῆρι? Scholiastae quidem nonnulli πέρι explicant περισσῶς s. ὑπὲρ τὸ τῆς φύσεως μέτρον. Schol. *Venet.* ad Il. IV, 46. XIII, 430. Sed causa vera et ad persuadendum accommodata inveniri nequit, cur hac in verborum consociatione πέρι κῆρι scribendum sit. Jam *Hermannus* de emend. rat. gr. Gr. p. 87. ad Od. VII, 69.

ὡς κείνη περὶ κῆρι τετίμηταί τε καὶ ἐστὶν

ex verbo ἐστίν, quocum περί jungit, ratiocinatus est, scripturam πέρι κῆρι falsam esse. Ceterum περί hoc loco cum ἐστί conjungi non potest, quod jam interpositum τετίμηται dissuadet; nec mediocris videtur *Dammii* explicatio verbi ἐστίν: *vivit* scil. *honorata*, quae notio est reiteranda ex verbo τετίμηται. *Nitzschius* ad h. l. interpretatur: *in Ehren ist und bleibt.* Jam redeundum est ad πέρι κῆρι. *J. H. Vossius* l. c. scholiastae verbis nimis innixus, pluribus locis adverbium πέρι falso cum nomine construit. Hymn. in Cer. 430. πέρι χάρματι pro περὶ χάρματι.

Il. XX, 65. πέρι δ' ἤθελε θυμῷ.
- XXII, 70. ἀλύσσοντες πέρι θυμῷ.

Vossius πέρι θυμῷ conjungit; immo potius πέρι δ' ἤθελε *valde* cupiebat, et ἀλύσσοντες πέρι *valde* maerentes θυμῷ *in animo*. Vide infra p. 97. Πέρι enim, quod adverbii locum sustinet, cum verbo, non cum nomine conjungendum, et θυμῷ his in versibus absolute intelligendum est, *in pectore*, sede moeroris et cupidinis. Alius rationis est *Apoll.* III, 866. ἔστευε — ὀδυνῇ πέρι θυμὸν ἀλύων (v. p. 86). Nihil ergo hi versus ad accentus inclinationem — πέρι κῆρι — probandam possunt. Omnino cavendum est, ne verba consociemus, quae non conjungenda sunt. Si veteres grammatici semper praepositiones inclinassent, simulatque cum anastrophe pronuntiandae erant, omnem sensus ambiguitatem nobis sustulissent. *Hermannus* in epist. crit. ad *Fr. Spitznerum* in Annall. Lipss. Supplem. I. fasc. I. p. 132. haec profert exempla

ἀνὰ τρίχας ἕλκετο χερσίν,
ἀνὰ δ' ἱστία λευκὰ πέτασσαν,
ἄκουε δ' ἀν' οὖς ἔχων,

quibus discrimen, quod praepositionem inter et adverbium intercedit, manifestum reddit. „Ea evidentissime, ait *Hermannus*, non possunt sine anastrophe pronuntiari. Nam si accentum habebunt praepositiones istae in ultima, nemo quisquam sensum illorum verborum intelliget, sed dici putabit *per crines adduxit manibus; per vela expanderunt; audi in aure habens.*“ Quum ἀνά his in locis adverbii vice fungatur nec cum nomine conjungatur, in prima syllaba tenorem habeat, necesse est.

5. Haec exempla nos ad aliam legem adducunt, qua praepositiones *adverbiorum* vim et potestatem accipiunt. Praepositio enim, quae ad verbum pertinet, *tmesi* autem, quam dicunt, ab eo separatur, adverbii locum sustinet.

Vulgo grammatici haec tria constituunt.

1) *Praepositio verbo, quocum construitur, anteposita vulgarem tenorem servat.* Cf. *Etym. M.* p. 123, 49. Verba etymologici leguntur apud *Hermann.* de emend. rat. gr. Gr. p. 114 sq.

Il. I, 67. ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι
i. e. ἡμῖν λοιγὸν ἀπαμῦναι.

Il. VII, 163 sqq. τῷ δ' ἐπὶ Τυδείδης ὦρτο κρατερὸς Διομήδης
τοῖσι δ' ἐπ' Αἴαντες — —
τοῖσι δ' ἐπ' Ἰδομενεὺς — —

Spitznerus huic legi obtemperans anastropham sustulit:

Il. VII, 289. περὶ δ' ἔγχει Ἀχαιῶν φέρτατός ἐσσι
- VIII, 161. περὶ μέν σε τίον.

Vide *ejusd.* dissert. de praep. ΠΕΡΙ. p. 9. Cur autem Il. IX, 53.

πέρι μὲν πολέμῳ ἔνι κάρτερός ἐσσι

a viro illustrissimo anastropha defendatur, quamquam verborum nexus idem est, qui VII, 289. percipitur, non intelligo.

Il. XI, 180. περὶ πρὸ γὰρ ἔγχεϊ θῦεν,

ubi *Vossius* ad Hymn. in *Cer.* 430. voluit πέρι πρὸ γάρ, et *Spitznerus* recepit περιπρὸ γάρ. Eadem verba Il. XVI, 699. redeunt, sed typothetae editori non paruerunt. Cf.

Apoll. Rh. II, 867. περιπρὸ γὰρ εὖ ἑκέκαστο ἰθύνειν, pro περὶ πρό.

Hes. Theog. 656. ἴδμεν ὅτι περὶ μὲν πραπίδες, περὶ δ' ἐστὶ νόημα.

Ibi *Wolfius* proposuit πέρι μὲν — πέρι δέ. *K. Lehrsius* in quaest. epicc. spec. I. grammaticis obtemperans, ante verbum praepositiones ὀξυτόνως exarari jubet; excipit tamen verbum εἰμί, ante quod praepositionem inclinat; ex. c. Il. III, 440.

πάρα γὰρ θεοί εἰσι καὶ ἡμῖν.

Sic legerunt *Schol.* A. et editiones antiquae. Causam hujus exceptionis hanc affert, quod verbum εἰμί cum praepositionibus compositum accentum illis traderet, ut πάρειμι, ἔπειμι etc.; alia vero verba accentum in stirpe retinerent, ut κατήσθιον, ἀνέστη etc. Quae tamen omnia a grammaticis efficta sunt.

Si quando praepositio presse juxta verbum collocatur, ea saepe melius cum verbo conflatur, ut περὶ δείδια. *Heynius* falso πέρι δείδια, intelligentissimi judices, ut *Brunckius* in edit. Apollonii Rh. *Wolfius*, *Nitzschius* (ad Od. IV, 820.), *Spitznerus* (in dissert. laud. de praep. *ΠΕΡΙ* p. 9.) περιδείδια scribunt. cf. Il. X, 93. XIII, 52. XVII, 240 (hic Aristarchus πέρι δείδια praetulit) 242. Apoll. Rh. II, 1203. Idem monet forma περίδδεισαν, περιδδείσασα Il. XI, 588 sq. XV, 123. XXI, 128. Sic περιχώσατο IX, 449. XIV, 266. ἀμφιμάχεσθαι VI, 461. cf. XI, 713.

2) *Praepositio verbo, quocum conjungitur, postposita tenorem invertit et adverbii vice fungitur*, ut ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους. cf. Schol. *Venet.* ad Il. V, 308. VII, 163. X, 95.

Il. II, 699. τότε δ' ἤδη ἔχεν κάτα γαῖα μέλαινα.
cf. III, 243. τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα.
Apoll. I, 979. βάλεν δ' ἄπο δείματα θυμοῦ.
- III, 1193. Νὺξ δ' ἵπποισιν ἔβαλλεν ἔπι ζύγα.
- IV, 662. βαλέειν ὕπερ.
- IV, 752. λεῖπον δ' ἄπο δώματα Κίρκης.

Spitznerus Il. V, 308. cum schol. *Veneto*, qui ob intersertam particulam δέ anastropham missam fecit, scripsit

ὦσε δ' ἀπὸ ῥινὸν τρηχὺς λίθος.

Adde XIV, 449. τῷ δ' ἐπὶ - ἦλθεν. XVI, 221. Χηλοῦ δ' ἀπὸ πῶμ' ἀνέῳγεν. Sed potius starem a partibus *Ptolemaei* Ascal. et *Heynii*, qui V, 308. ὦσε δ' ἄπο defendunt, et scriberem τῷ δ' ἔπι - ἦλθεν et χηλοῦ δ' ἄπο πῶμ' ἀνέῳγεν. Adde

XVI, 588. χώρησαν δ' ὕπο τε πρόμαχοι. XVII, 258. τὸν δὲ μέτ' Ἰδομενεύς scil. ἦλθεν. Particula enim, quae verbum et praepositionem distinet, multo minoris momenti est, quam quae sensum verum turbare atque depravare possit. De hac re vide p. 98. cf. Od. VII, 11. θεοῦ δ' ὣς i. e. ὡς θεοῦ.

Praepositio πέρι post verbum posita significat περισσῶς, valde, Hes. Scut. 12. χωσάμενος πέρι βουσὶ valde bovibus irascens. cf. Göttling. ad h. l.

Il. XXII, 70. ἀλύσσοντες πέρι θυμῷ valde moerentes animo.

3) *Praepositio, quae verbi vice iteratur, tenorem in penultimam retrahit*, ut

Il. I, 611. ἔνθα κάθευδ' ἀναβὰς, πάρα δὲ χρυσόθρονος Ἥρη.

- II, 446. θῦνον κρίνοντες· μέτα δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη.

- XXIII, 798 sq. αὐτὰρ Πηλείδης κατὰ μὲν δολιχόσκιον ἔγχος

θῆκ' ἐς ἀγῶνα φέρων, κάτα δ' ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν,

quibus locis πάρα dictum est pro παρεκάθευδε,

μέτα - - - μετέπειτα,

κάτα - - - κατέθηκε.

Non ignoro quidem, grammaticorum partem inclinationi obniti; sed rem diligentius perspicienti apparebit, hanc voculam, cui simul verbi notio injungitur, ad notionis vim exprimendam tenorem retrahere debere; cf. XXIII, 798. Der Pelide legte nieder die Lanze, *nieder* auch den Schild. Cf. *Apoll.* Rh. II, 491. — — ἀνὰ δ' ἵστατ' Ἰήσων,

ἂν δὲ Βορήϊοι υἷες.

- III, 516. σπερχόμενος δ' ἀνόρουσε θοῶς· ἔπι δὲ τρίτος Ἴδας

ὦρτο μέγα φρονέων, ἔπι δ' υἷες Τυνδαρέοιο.

σὺν δὲ καὶ Οἰνείδης i. e. ἐπῶρτο et συνῶρτο.

6. Haec sunt, quae a grammaticis vulgo constituuntur, et *Bultmannus* in Gramm. Gr. II, p. 302 sq. aeque docte atque scite animadvertit, in hac re et sensum et interpunctionem magni momenti esse, et pro orationis perspicuitate atque pondere tenorem dijudicemus nos oportere. Nec dubitari potest, quin praepositio a verbo separata, quamquam adverbii vice fungatur, modo majori modo minori gravitate a veteribus pronuntiata fuerit. Sed grammaticorum praecepta tantopere inter se pugnant, ut certi aliquid vix constitui possit. Nonnulli (vide *Villoison.* Anecd. Gr. P. II, p. 130.) saepius accentum praepositioni plane detraxerunt, quo indicarent, eam cum verbo committendam esse, ut ἡμῖν απο λοιγὸν ἀμῦναι.

7. Optime nobis consulimus, si rem obscuram et a grammaticis veteribus turbatam lumine philosophiae illustramus. Sequimur *Hermannum*, grammaticorum coryphaeum, qui jam in libro de emend. rat. gr. p. 116 sq. et nuper in epistola critica ad Spitznerum rem acu tetigit. Quod ad *tmesin* quam dicunt attinet, *Hermannus* l. c. (vide *Buttmannum* in Lexil. I. p. 152 sq. cf. p. 277.) tmesin Homeri grammaticorum fictionem esse exposuit et Homericis tanquam absurdam abrogandam evicit. Praepositiones enim aut nomine certo destitutae aut a verbo separatae peculiares particulae sunt habendae, quae plenum sensum complectuntur, ut Il. X, 224.

σύν τε δύ' ἐρχομένω

duo *una*, *conjunctim* proficiscentes. Praepositiones autem adverbii vice usurpatas notionem aliam habere, per se patet; una vero cum significationis mutatione eae necesse est mutatum tenorem suscipiant. Vocabulo enim absente, cui accentus appropinquet, necessario βαρυτόνως scribendae sunt. Inde sequitur, omnibus in locis, in quibus praepositio a verbo sejuncta, vel ut rectius dicam, absolute posita est, eam in penultima acuendam esse. Omnes igitur loci, quos supra sub 1) 2) 3) attulimus, ita emendandi sunt, ut praepositioni, vel rectius *adverbio* barytonesis vindicetur. *Wellauerus* quoque huic legi cedens recte scripsit

Apoll. I, 80. τοῖς δ' ἄρ' ἔπι - ἠγερέθοντο.

- ib. 96. τοῖς δ' ἔπι - ἤλυθε Βούτης et alibi.

Hac in re graeca lingua proxime accedit Germanicae. Pauca exempla sufficiant. *Hermannus* in epist. crit. ad Spitzn. (Ann. Lipss. I. Suppl. fasc. I. p. 135.) graecum ἄνα comparat cum germanico *an*, ut ἄνα δὲ κρῖ λευκὸν ἔμιξαν; ὕδατος ἄνα εἴκοσι μέτρα χεῦεν, quae nihil aliud significant, quam quod nos dicimus: *daran thun.* Sic ἔπι *dazu* in ἔπι δὲ κρόμυον ποτῷ ὄψον, ad quem locum *Hermannus* l. c. p. 132. observat: „si ἐπί pronuntiaretur, hiaret oratio, exspectareturque nomen aut pronomen. Quo omisso gravius pronuntiata praepositio naturali accentu suo ἔπι nihil secuturum esse, sed intelligi debere rem aliquam ostendit.“ Inprimis tum, quum plures praepositiones se excipiunt, necesse est adverbii potestatem accentu discernamus, ut Apoll. I, 1059.

τρὶς πέρι χαλκείοις σὺν τεύχεσι δινηθέντες,

quo loco in editionibus omnibus haud bene περί legitur; aut quum verborum structura ita comparata est, ut praepositio vix amplius ad nomen suum referri possit, ut Il. XVI, 567.

Ζεὺς ἔπι νύκτ' ὀλοὴν τάνυσε κρατερῇ ὑσμίνῃ.

Jam satis apparebit, praepositionem, simulatque adverbii locum sustinet, semper adverbii instar naturali in penultima accentu proferendam esse, etiam tum, quum interjectis particulis δέ, δ', ἄρ' etc. a verbo sejungitur, ut

Od. X, 113. κάτα δ' ἔστυγον αὐτήν.
Apoll. Rh. I, 1171. ἄνα δ' ἕζετο σιγῇ — καπταίνων.
- - IV, 1337. — — αὐτὰρ Ἰήσων
καπτήνας ἄν' ἄρ' ἕζετ' ἐπὶ χθονός,
ὧδέ τ' ἔειπεν,

quibus in locis *Spitznerus* de praepp. *ANA* et *KATA* p. 10. ἄνα cum καπταίνων et καπτήνας conjungit. Hermannus autem in epistola laudata p. 135. ἀνὰ cum ἕζεσθαι constringit, ita ut ἀνεζόμενος is dicatur, *qui jacens se erigat, ut jam sedeat, nondum autem in pedes consistat.* — Jam satis disputavimus de praepositionum inclinatione, quae adverbiorum partibus funguntur.

§. 35.

De anastropha Atonorum.

1. Praepositiones ἄτονοι ἐκ, ἐξ, ἐν et particula comparativa ὡς, si quando nominibus suis postponuntur, tenore acuendae sunt. Quod rerum naturae convenit. Istae enim voculae, nomini praemissae, procliticae sunt habendae atque cum nomine suo in unum verbum committendae; nomen autem sequentes propterea non encliticarum instar tractandae sunt, quod mutata verborum collocatio secum tenoris fert erectionem. Dictio enim enclitica post vocabulum, cui adstringitur, collocata, quia accentum non in sequens vocabulum transmittere potest, quocum cohaeret, suum ipsa in se suscipere debet accentum, ut ἐκ τοῦ, contra τοῦ ἔκ. Accedit, quod accentus tantum elevatione saepius sententiae controversia vitatur. Primus hanc procliticarum dictionum doctrinam ingeniosissime in clarissima luce posuit *Hermannus* in libro de emend. rat. gr. p. 96 sqq. et 101 sq.

2. Re ita se habente, *Nitzschius* ad Od. VI, 197.

τοῦ δ' ἐκ Φαιήκων ἔχεται κάρτος τε βίη τε

recte animadvertit, contra omnium grammaticorum decreta, quae praepositiones, vocula aliqua a nomine suo sejunctas, acui vetant, loco laudato scribendum esse τοῦ δ' ἔκ Φαιήκων, ne quis construat ἐκ Φαιήκων pro ἐξ οὗ ἔχεται κάρτος Φαιήκων. Cf.

Od. XI, 346. Ἀλκινόου δ' ἔκ τοῦδ' ἔχεται ἔργον τε ἔπος τε.
- I, 220. τοῦ μ' ἔκ φασι γενέσθαι,

i. e. ἐξ οὗ μέ φασι γενέσθαι. Itaque *Hermanno* de emend. rat. gr. p. 101., cujus a partibus stat *Thierschius* Gr. Gr. §. 279, 9. scribendum videtur

Il. II, 84. βουλῆς ἔξ ἦρχε νέεσθαι
- V, 64. θεῶν ἔκ θέσφατα ᾔδη,

quo loco posteriori *Spitznerus* primus ἔκ in textum recepit, et exemplo *Apollonii* de pron. p. 313. A. tenorem confirmavit. Adde

Il. V, 157. μάχης ἔκ νοστήσαντε
- V, 763. μάχης ἔξ ἀποδίωμαι
- VI, 100. ὅνπερ φησὶ θεᾶς ἔξ ἔμμεναι.
XIV, 472. XVI, 13. 262. XVII, 207. XXII, 444. XXIV, 705. ubi *Wolfius* ἐκ ἀτόνως scripsit. Sed miror, cur *Spitznerus* qui alias de suo tenorem addidit, Il. IX, 641. πληθύος ἐκ Δαναῶν neque ἔκ scripserit, quod etiam Il. XXIII, 477. κεφαλῆς ἔκ δέρκεται ὄσσε recipiendum est. Adde XVII, 210.
Apoll. III, 289. στηθέων ἔκ.
- IV, 70. δόμων ἔκ λύματ' ἔνεικαν.

3. Pari modo praepositio a verbo sejuncta accentu instruatur necesse est, ut ἔκ δ' ἄρ' ἔβησαν, et *Wellauero*, qui Apoll. I, 110. recte ἂν δὲ καὶ αὐτοὶ βαῖνον scripsit, etiam I, 1018. ἔκ pro ἐκ scribendum erat. Cf. Apoll. IV, 605. ἐκ δὲ — προχέουσιν ἔραζε.

4. Veteres grammatici, ut *Joannes* Alexandr. in τονικὰ παραγγέλματα ed. G. Dindorf. (Lips. 1825.) p. 27. 34., anastropham praepositionis ἐκ in exitu tantum versus concesserunt, ut Il. XIV, 472.

οὐ μέν μοι κακὸς εἴδεται, οὐδὲ κακῶν ἔξ.

Theocr. Id. XXV, 35.

ἐπεὶ οὔ σέ γέ φημι κακῶν ἔξ — ἔμμεναι.

cf. Theocr. XXII, 30. Recentiores autem huic legi non obtemperant, et jure sane meritoque in omnibus versus regionibus anastropham admittunt. *Hermannus* l. c. p. 66. et 102. in versus fine cum *Posselio* pro gravi scribi jussit acutum tenorem, quod versus exitus, etiamsi amplius constructio procederet, intercapedinem quandam temporis postularet. Quam vero opinionem oppugnant versus, qui in fine elisionem aut vocis fractionem admittunt ob insequentem ab exordio proximi versus vocalem, ut Il. VIII, 206. XIV, 265. XXIV, 331. *Hes.* Theog. 884.

— — — — Ζῆν'
αὐτοῦ.

nec non carmina lyrica, ut *Sappho* in Aphrod. 11. αἰθέ-ρος 15. κὤττι δ' - ῆν et Romanorum versus hypermetri qui dicuntur.

5. Pari modo, atque ἐκ, ἐν acuendum est, si post nomen collocatur. cf. Apoll. I, 121. σταθμοῖσιν ἐν Ἰφίκλοιο; scribe ἔν. ib. I, 770. Μαινάλῳ ἔν ποτέ οἱ. II, 381. πύργοισιν ἔν. 218. εἰαμενῇ — ἔν. 908. ᾧ ἔν. III, 959. μήλοισι δ' ἔν. IV, 13. τάρφεσιν ἔν ξυλόχοιο. Nonnulli horum locorum ita comparati sunt, ut ἐν caesura primaria a nomine suo separetur, quae tamen res impedire non potest, quo minus ἐν accentum sibi postulet. Cf. supra p. 80. At vide *Gerhard.* Lectt. Apoll. p. 133 sq. Quae de praepos. ἐν disputata sunt, haud minus ad ἐς quadrent necesse est, et scribas Il. XV, 59.

Ἕκτορα δ' ὀτρύνῃσι μάχην ἔς Φοῖβος Ἀπόλλων.

6. Haud minus ἐν acuitur, si *adverbii* vice fungitur, et notionem, quam ἔνθα, habet, ut Od. IV, 858.

ἐν δὲ λιμὴν εὔορμος

pro ἐν δὲ λιμήν; *aderat* portus opportunus; *illic* fuit. De significatione *adesse* cf. Il. V, 477. ἔνειμεν *adsumus*; saepius autem ἔνειμι significat *insum*, *intersum*. — Adverbii locum sustinuisse videtur ἐν in Od. IV, 653.

— ἐν δ' ἀρχὸν ἐγὼν βαίνοντ' ἐνόησα
Μέντορα ἠὲ θεόν·

i. e. *inter juvenes* principem conspexeram Mentorem; ne quis construat ἀρχὸν ἐμβαίνοντα. Hac in sententia confirmatus sum, quum *Spitznerum*, virum elegantissimi ingenii, idem instituisse percepissem in locis a me prolatorum simillimis. Il. VII, 441. IX, 349.

ἐν δὲ σκόλοπας κατέπηξαν

et IX, 361. ἐν δ' ἄνδρας ἐρεσσέμεναι μεμαῶτας.

Hermannus l. c. p. 118. etiam Il. XVIII, 483. scribi jussit

ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν.

ib. v. 485. ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα,

et antea 479. 480. scribendum erit

πέρι δ' ἄντυγα βάλλε φαεινήν,
ἐκ δ' ἀργύρεον τελαμῶνα,

extra, *ab exteriore parte* adaptavit Vulcanus argenteum manubrium. Il. XXII, 441. ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσεν *hinein* aber webte sie Blumen. Il. XIV, 216. ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς — πάρφασις. XVI, 551. λαοὶ ἕποντ', ἐν δ' αὐτὸς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι; *darunter* zeichnete er sich aus. Apoll. I, 565. *Wellauero* scribendum erat ἐν δὲ λιγὺς πέσεν εὖρος *hinein* (scil. ἐν τοῖς λίνοις) legte sich aber ein scharfer Wind. Cf. I, 780. 735. 747. 752. 759. 773. 1262. IV, 657 sq., quibus locis ἐν adverbii instar acuendum est.

7. Sicuti praepositiones ἐκ, ἐξ, ἐν, ita particula ὥς (*ut*, *sicut*) in anastropha acuitur. Cf. Od. VII, 11.

Φαιήκεσσιν ἄνασσε, θεοῦ δ' ὣς δῆμος ἄκουεν.

ib. 71. θεὸν ὣς εἰσορόωντες.

In *Hes.* Theog. 863 sq. καίετο γαῖα — καὶ ἐτήκετο κασσίτερος ὡς Τέχνῃ, quo loco *Dindorfius* et alii κασσίτερος ὣς scripserunt, *Göttlingius* ὡς sine tenore exaravit, quod verbum supplendum τήκεται non praecedit, sed sequitur. Sed verendum est, ne haec subtilius dicta sint. Versus sunt hi:

πολλὴ δὲ πελώρη καίετο γαῖα
ἀτμῇ θεσπεσίῃ καὶ ἐτήκετο, κασσίτερος ὡς
τέχνῃ ὑπ' αἰζηῶν ὑπό τ' εὐτρήτου χοάνοιο
θαλφθείς, ἠὲ σίδηρος, ὅπερ κρατερώτερός ἐστιν etc.

Göttlingius construit: πολλὴ γαῖα ἐτήκετο, ὡς κασσίτερος

(τήκεται) τέχνῃ, ὑπ' αἰζηῶν θαλφθεὶς. Sine necessitate τέχνῃ cum verbo intransitivo τήκεσθαι (ἐτήκετο) conjungitur, quod cum sequente et transitivo θαλφθεὶς melius colligatur. *Dindorfius:* πολλὴ γαῖα ἐτήκετο, κασσίτερος ὥς, τέχνῃ ὑπ' αἰζηῶν etc. Equidem praetulerim hunc verborum ordinem: πολλὴ γαῖα ἐτήκετο, κασσίτερος ὥς, τέχνῃ θαλφθεὶς ὑπ' αἰζηῶν etc. Ipsum *Göttlingium* proclitica ista ὡς in fine versus male habet, et re vera ferri nequit. Anastropha igitur recipienda est. Peculiaris est verborum collocatio apud *Apollonium* Rh. I, 1297.

ὅστλιγγες μαλεροῖο πυρὸς ὣς ἰνδάλλοντο,

ubi ὣς per genitivum a nomine suo separatur. Denique obiter tango voculas ὅπως et οἷα, quibus Apollonius eodem modo, quo ὡς, utitur in Argon.

I, 285. δμωῒς ὅπως i. q. δμωῒς ὥς.

II, 91. βουτύπος οἷα i. q. βουτύπος ὥς.

§. 36.

De tenoris inclinatione apostrophi causa.

1. Reliquum est, ut inclinationis mentionem faciamus, quae post apostrophum locum habet. Vocabula enim, quae in ultima tenore eriguntur, ne cum vocali elisa accentum quoque amittant et omni fere numero destituantur, ab ultima, quae apostropho absorbetur, tenorem in praecedentem syllabam retrahunt, ut φήμ' ἐγώ, pro φημ' ἐγώ, a φημὶ ἐγώ. Voculae, quae cum vocali una tenorem abjiciunt, animadvertendae sunt ἀλλά, οὐδέ, μηδέ, ἰδέ et praepositiones bisyllabae, ut ἀνά, ἐπί, κατά, παρά, ὑπό; non ita ἀμφί, ἀντί, ἐνί, περί, quae elisioni non sunt obnoxiae. V. c. ἀλλ' ἐγώ, παρ' αὐτοῦ; contra περὶ αὐτοῦ. De ratione hujus legis, qua dictiones illae accentum cum vocali amittere poterant, docte disseruit *Hermannus* de emend. rat. gr. p. 100 sq.

2. Accentum elisae vocalis ad proximam modo moram removeri posse, semper tenendum est, ut Il. XVI, 420. (cf. XVIII, 504.).

χέρσ' ὕπο Πατρόκλοιο i. e. χερσὶν ὕπο Πατρ.

ἀγάθ' pro ἀγαθά. *Hes.* Scut. 373. καναχιζε πόδ' εὐρεῖα χιθών. Vocabula igitur, quando quidem ante elisam vocalem habeant diphthongum, non, id quod exspectares, huic circumflexum imponunt, sed acutum tenorem; ut τὰ δείν' ἔπη; si quis scriberet δεῖν' ἔπη (id esset δέἰν' ἔπη) accentus moram proximam [δέ]ιν' transiluisset. Veteres grammatici saepe de vero accentu haeserunt incerti, unde mirum non videtur, si in Homericis adverbium δηθά, elisione decurtatum vulgo δῆθ' pro δήθ' reperitur, aut errore aut negligentia scribarum corruptum. Recte tamen statuit *Herodianus*

(cf. Schol. ad Il. XVII, 201.), tenorem post apostrophum in syllabam presse praecedentem esse remittendum, quocum intelligentissimi conspirant recentioris aetatis grammatici: *Reizius* de inclin. accent. p. 118. *Hermann.* l. c. p. 68. *Buttmann.* Gr. ampl. II, p. 393. et *Spitzner.* ad Il. V, 104.

3. Conferas quae sequuntur exempla. Il. II, 435.

μηκέτι νῦν δήθ' αὖθι λεγώμεθα, μηδ' ἔτι δηρόν,

quo loco *Zenodotus* pro δήθ' αὖθι legit δὴ ταῦτα, *Callistratus* δὴ νῦν αὖθι et *Buttmann.* in Lexil. II, p. 78, 2 et 3. δὴ νῦν ταῦτα conjecit.

Il. V, 104. δήθ' ἀνσχήσεσθαι,

ubi *Stephanus*, *Heynius* et alii accentum omiserunt, et veterum grammaticorum unus conjectura sibi consulens δηθὰ σχήσεσθαι exaravit. cf. *Eustath.* p. 528, 15.

Il. V, 583. ἡνία λεύκ' ἐλέφαντι χαμαὶ πέσον.

— XVIII, 560. λεύκ' ἄλφιτα.

ambobus in locis λεύκ' pro λευκά. Sic κεῖν' ὄχεα pro κεινά. Il. XI, 160 XV, 453.

Il. XI, 441. ἆ δειλ', ἦ μάλα δή σε κιχάνεται αἰπὺς ὄλεθρος,

quo loco *Aristarchus* ἆ δειλέ, ἦ μάλα κ. τ. λ. scripserat, sicut idem in eadem rhapsodia v. 480. ὦ Σῶκε Ἱππάσου υἱὲ κ. τ. λ. voluit pro ὦ Σῶχ', Ἱππάσου etc. Vocalis ε quum facile pronuntiando absorberetur, versus rhythmum non turbaret et sine ejus damno scribi posset. *Spitznerus* Aristarchum hac in re oculis tantum, non auribus consuluisse arbitratur; nobis autem ratio et causa illius scripturae *vocativo* inesse videtur, post quem oratio intercapedine, quamquam minima, cessat; cessat tamen, nec rem diligenter consideranti scriptio plena ἆ δειλέ, ἦ μάλα et ὦ Σῶκε, Ἱππάσου displicebit. Nimirum alia est eorundem verborum pronuntiatio per synizesin, alia per apostrophum, nec dubito, quin Aristarchus, plenae scriptionis auctor haud minus auribus quam oculis consuluerit. At vide *Spitzn.* ad XVI, 837. Quomodo res se habeat, ei qui apostrophum admittit, semper ἆ δείλ' neque ἆ δεῖλ' scribendum est, et *D. J. Lindnerus* V. D. locos, in quibus ἆ δείλ' obvenit, in Novv. Annall. Lipss. 1834. Supplem. tom. III, fascic. I. p. 43 sq. enumerans, scribendo ἆ δεῖλ' erravit. Praeter Il. XI, 441. confer XI, 452. XVI, 837. XVII, 201. XXIV, 518. Od. XVIII, 388. Adde *Apoll.* Rh. III, 806. αἴν' ὀλοφυρομένης pro αἰνά. ib. III, 555. δείν' ἐπαλαστήσας pro δεινά.

§. 37.

De vi accentus.

Nemo sane erit, qui hodie dubitet, utrum grammatici veteres una cum accentibus veram quoque in universum pronuntiationem tradiderint an hariolantes signa tenoris appinxe-

rint. Incredibilis sane fuisset conspiratio eorum in construenda accentuum doctrina, nisi veritas rerum subesset. Recte profecto et jucunde is tantum orationem solutam clara voce leget, qui praeter prosodiam syllabarum tenoris quoque ictum observat.

2. At quaeritur, an in versuum recitatione accentus aut prosodia praevaluerit. Locus classicus de hac re legitur apud *Dionysium* Halic. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων ed. Oxon. 1704. XI. ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς μειοῦσαι καὶ αὔξουσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τἀναντία μεταχωρεῖν· οὐ γὰρ ταῖς συλλαβαῖς ἀπευθύνουσι τοὺς χρόνους, ἀλλὰ τοῖς χρόνοις τὰς συλλαβάς. Ex quibus verbis argumentari licet, in oratione pedestri accentum, in versibus prosodiam regnasse. Nihilominus etiam in poesi accentus tantam vim exercuisse videtur, ut interdum syllabam brevem produceret et longam, quam aut praecederet accentus aut sequeretur, corriperet. Hanc sententiam amplexus est *Hermannus* Elem. doctr. metr. lib. I. c. X, p. 96 sqq., qui brevem syllabam in thesi collocatam adminiculo accentus productam censet. Exempla sunt:

ἀγρυπνίῃ Oppian. Cyn. III, 511.
ἀγρίου Il. XXII, 213.
ἀεργίης Od. XXIV, 251. cf. Oppian. Hal. II, 219.
ἀκομιστίῃ Od. XXI, 284.
ἀνολβίῃ *Hes.* Opp. 319.
ἀτιμίῃσιν Od. XIII, 142. cf. Oppian. Hal. I, 279.
δυσφροσύνῃ *Maneth.* Apotel. IV, 270.
Ἰλίου Il. XV, 66.
ἱστίῃ Od. XV, 159. XVII, 156. XIX, 304. XX, 231.
κακοεργίης Od. XXII, 374.
Καραμβίῃν *Orph.* Arg. 738.
Κασπίῃ *Dion.* Per. 706. Κασπίης 53. 697. 719. Κασπίοισιν 738. sed 1039. in fine Κασπιάων cum melioribus codicibus Κασπιαδάων legendum est. cf. *Herm.* l. c. p. 57, 16.
Κρισίῃ *Hes.* Theog. 359.
ὁμοιΐου Il. IX, 440. et saepius.
προθυμίῃσιν Il. II, 588.
Ὑπερησίην Il. II, 573.
ὑπεροπλίῃσι Il. I, 208.
ὑποδεξίῃ Il. IX, 73., ubi *Herodian.* ὑποδεξείᾳ dedit; et alia.

Repugnant Ἀσκληπιοῦ Il. II, 731. et ἀνεψιοῦ XV, 554. Ex *Eustathio* p. 463, 37. 1447 extr. colligit *Hermannus* l. c. p. 56, 14., Ἀσκλήπιον προπαροξυτόνως acuendum esse, et ἀνεψιοῦ, unicum quod restat contrarium exemplum, ἀνεψίου scribendum conjicit. Accedunt exempla

Αἰόλου Od. X, 36, 60.

Ἰφίτου Il. II, 518.

Ἱππότην *Hes.* Eoeae. fragm. LVII. ap. *Göttling.* (*Pausan.* IX, 40, 3.).

Alius rationis est Κλεοσθένης Paus. VI, 10, 2. ab initio versus; ibi non accentus in considerationem venit, sed forma amphimacra pro dactylo. Κλεοσθε- veluti ἕως ὁ (⏑‒⏑), cf. Il. I, 193. X, 507 etc. locos congessit *Hermann.* l. c. p. 58, 19.

3. Haud alienum igitur videtur, sibi persuasum habere, tenoris vim his in vocabulis locum habuisse et vocales per se breves produxisse. Cetera autem exempla, quae *Hermannus* l. c. affert, ut ὄϊες Od. IX, 425. ἴμεναι Il. XX, 365. ἀρόμεναι *Hes.* Opp. 22. (cf. §. 1. p. 5.), *arsi*, cujus in sede deprehenduntur, satis excusantur, neque accentu opus est, quo syllabae productio declaretur. Cf. *Apoll.* I, 267. οἱ δὲ σῖγα, ubi edit. Paris. οἱ δαὶ σῖγα habet. Sed de forma δαί cf. *Spitzner.* ad Il. X, 408. De vocabulo ὄφιν in exitu versus Il. XII, 208. aliter atque *Hermannus* l. c. p. 57., qui cum *Eustathio* ex accentu excusationem repetit, constituit *Spitznerus* de vers. Gr. her. p. 78. et ad Il. XII, 208. Sic de forma ζευγνῦμεν Il. XVI, 145. viri docti in diversas discedunt sententias. *Heynius* voluit ζευγνύμεν' pro ζευγνύμεναι, quod ex ζευγνυέμεναι contractum esse censuit *Barnesius* (cf. ἀρόμεναι, ἀροέμεναι, ἀρούμεναι §. 1. p. 5.). Longum ῡ probare potest *Apollon.* Rh. III, 417. ζεύγνῡμι βόας. cfr. *Heyn.* Observv. ad Il. XVI, 145. *Hermann.* Elem. doctr. metr. p. 57, 15. *idem* de Ellipsi et Pleon. p. 232. *Buttmann.* in Lexil. I, p. 55. et in gramm. ampl. I. p. 535.

4. An accentus sequens aut praecedens syllabam vicinam corripere possit, ut Ὀδυσεύς pro Ὀδυσσεύς

βούλεται — βούληται

ἕως ὁ dic εἶος ὁ

vehementer dubito. Vide tamen *Hermann.* l. c. p. 57, 17. p. 58, 18 et 29. Litera λ et σ modo simplex, modo duplex adhibetur, et Ἀχιλεύς, Ὀδυσεύς juxta Ἀχιλλεύς, Ὀδυσσεύς eodem modo se habent, quo νεόλουτος, εὔσελμος se habent juxta νεόλλουτος et ἐΰσσελμος; neque huc pertinet duplicatio consonae post vocalem accentu instructam, ut ὄσσος, ἔλλαβε, ἔσσομαι etc. pro ὅσος, ἔλαβε, ἔσομαι. Et ἕως ὁ enormitas metri est dactylici, quae scilicet ore vivo tollenda, nullo tamen modo e scriptura delenda est. cf. epigramma jam citatum apud *Paus.* VI, 10, 2.

Κλεοσθέ|νης μ' ἀνέθηκεν ὁ Πόντιος ἐξ Ἐπιδάμνου.

5. Tales versus nobis considerantibus alia sententia se offert. Quum infitias ire nequeamus, prosodiam in carminibus praevaluisse, singula exempla, quae ictu tenoris brevem syllabam ostendunt productam, vix nobis persuadere possunt,

accentum causam productionis fuisse. Quam sententiam jam desperavit *Spitznerus* de vers hex. p. 18. 19. 83. et locus *Dionysii* Halic., supra laudatus, rem ad liquidum ducere potest. *Οὐ γὰρ ταῖς συλλαβαῖς ἀπευθύνουσι τοὺς χρόνους, ἀλλὰ τοῖς χρόνοις τὰς συλλαβάς, non enim syllabis corrigunt tempora* (moras), *sed temporibus* (moris) *syllabas;* i. e. *μουσικῶς, recitando, decantando* rhapsodi syllabas metro repugnantes ita pronuntiavere, ut pro varia necessitate *producendo* aut *corripiendo* verus rhythmus restituatur. *ἡ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς μειοῦσαι καὶ αὔξουσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τἀναντία μεταχωρεῖν.* Inde explicari potest duplex forma conjunctivi, qui modo longa, modo brevi vocali utitur, ut ἀγείρομεν — ἀγείρωμεν

μίσγεαι — μίσγηαι

ἄλεται — ἄληται etc.

Eandem sententiam fovet *Spitznerus* de vers. Gr. her. p. 83., qui postquam vocabula supra a nobis quoque allata percensuit, hoc edixit: „Pertinere autem hos locos ad eos, quos μουσικῶς ab Homero protractos veteres judicaverunt, existimaverim." Recte quidem; sic *Eustathius* mediam ὀλοῇ syllabam μουσικῶς producendam esse praecipit; Il. XI, 679. συβόσῖα ibid. *Eustath.* p. 874, 8. ἐκτείνει διὰ τὸ μέτρον τὴν παραλήγουσαν, ἵνα δακτυλισθῇ ὁ τρίβραχυς πούς. Vide similia apud Schol. *Venet.* ad Il. XXI, 318. ἰλῦος. Cf. *Apoll.* Rh. I, 10. ἴλῦος.

6. Ex omnibus apparet, majoris metri legem quam tenoris vim momenti fuisse in oratione poetica. — Doleo, quod libellum *Car. Fr. Löberi:* de modo, quo veteres Graeci Romanique versus suos ipsi recitaverint. Hersfeld. 1833. inspicere non poteram. Cuinam sententiae indulserit, id contendere audeam, mecum in eo *Loeberum* consentire, prosodiam, etiamsi accentus a lectoribus veteribus respectus est, in recitando praesonasse. Qua de re cum *Hermanno* facere non poteram (cf. §. 35. p. 100.), qui in fine versus acutum pro gravi accentu praeferendum censet. Musica enim recitatio ejusmodi est, ut et metri eurhythmiam et sensus nexum quam maxime eminere faciat, neque in versus exitu ordinem verborum tantopere tardet, si sensus amplius procedit, ut acuat vocem, quae gravi accentu ob orationis cursum pronuntianda est.

Alia vis est tenoris apud Graecos infimae aetatis et Neograecos, qui pariter atque ceteri omnes fere populi recentioris aevi accentum vocabulorum gravioris momenti aestimant quam syllabarum mensuram. In memoriam revoces versus quos dicunt politicos *Jo. Damasceni*, *Tzetzae* et aliorum, qui jam eo modo, quo hodierni Graeci, accentui omnem vocalium mensuram posthabuerunt.

ADDENDA.

Ad §. 4, 4. 1) c. pag. 14. s. v. κανάξεις.

Adolphus Weberus de κατὰ praepositionis apocope. *Torgovae* 1835. pag. 10. in usum doctrinae suae de apocope praepositionis κατά in κα, reduplicatum digamma in καϜϜάξεις - κανάξεις ablegat, ita ut καϜάξεις nihil differat ab εὔαδεν, αὔΐαχος. Quam tamen praepositionis κατὰ in κα apocopen non ad Homeri carmina et aliorum Epicorum quadraré, in libro III. docebimus; quanquam contradicere nolim docenti, aliis dialectis, ut Doricae, Spartanae et Syracusanae, hanc resectam formam κα ne solennem quidem, tamen non inauditam fuisse.

De Aspiratione.

Ad §§. 17—22.

ἀραιός et ἁραιός (*tenuis*). De spiritu hujus vocabuli veteres grammatici magnopere ambigunt; sed libri scripti Homericis *lenem* vindicant, quos secutus est *Spitznerus* in Il. XVIII, 411. quo loco doctissime duplicis spiritus testes percenset. Scholiastae ad Il. V, 425. *Aristarchum* pro varia potestate varium spiritum praefixisse tradunt. Ἀρίσταρχος δὲ τὸ ἀραιὴν ἐπὶ μὲν τοῦ ἀσθενῆ δασύναι, ἐπὶ μὲν τοῦ ἐπιβλαβῆ ψιλοῖ. Cf. *Eustath.* ad Il. p. 1062, 4. ad Od. p. 1649, 6 sqq., qui tamen p. 568, 7. ἀραιός ionicum et commune, ἁραιός atticum esse existimat. Adde *Apollon.* in Lex. 157. cf. 406. 591. et *Hesych.* I, 509. *Etym. M.* 134, 18. 22. *Zonaras* I, 295. *Phavor.* 265, 40 sq. *Henr. Stephan.* Thes. Gr. ling. I, 2218, a. *Heynii*, qui spiritum asperum e digammate repetit, conjectura nihil commendationis habet.

ἄρμενος et ἅρμενος (*aptus, commodus*) part. aor. 2. ab ἄρω, ἀραρίσκω. Il. XVIII, 600. ib. *Spitzner.* Spiritum asperum praefixerunt *Etym. M.* 769, 48. *Strab.* VII, 464, C; contra *libri*, *Eustath.* p. 1166, 3. *Apollon.* in Lex. 660. recte lenem scriptum habent.

ἐανοῦ et ἑανοῦ (*vestis*) Il. XVIII, 613. Hoc editt. antiqq. et *Herodian.* περὶ μονηρ. λέξ. 7, 31. Sed aspero, qui recte se habet, patrocinantur libri et grammatici. cf. *Eustath.* 1167, 52. *Apollon.* in Lex. 237. *Etym. M.* 308, 20.

ἐῆος et ἑῆος. — Pag. 44. s. v. ἐῆος in altera a fine linea post verba: „sententiae leguntur" inseras haec: — Jam *Eustathius* ad Il. XVIII, 71. p. 1133, 14. praecepit: παιδὸς ἑοῖο (sic vulgo) ἢ μᾶλλον ἐῆος, ἤγουν ἠέος, ὅ ἐστιν ἀγαθοῦ, ὡς ἀπὸ τοῦ ἠΰς, ἠέος, καὶ κατὰ μετάθεσιν ἐῆος ἢ καὶ ἰδίου. διὸ καὶ δασύνεται παρὰ πολλοῖς. *Spitznerus* ἐῆος recepit pro vulgari ἑοῖο.

ἐλλεδανός et ἑλλεδανός (*funis stramenticius*) Il. XVIII, 553. Pro varia etymologia, sive ab εἰλέω (unde εἰλεδανός Vindob. Ed. Lips. Aldin. sec.) sive ab ἑλεῖν, modo asperum modo lenem spiritum appinxerunt. Plurimi autem lenem tuentur; sic Homero sequiores poetae. Hymn. in *Cer.* 456. *Hes.* Scut. 291. cf. *Zonar.* I, 683. *Henr. Stephan.* in Thes. ling. Gr. II, 3572, b. Spiritum asperum praebet *Hesychius* I, 1180. Inconstantiam in hac re animadvertere licet apud *Apollonium* in Lexico et apud auctorem *Etymol. M.*, quorum hic p.

331. asperum, p. 366, 43. lenem; ille in Lexico p. 256. asperum, p. 257. lenem praefixit.

ἧδος et ἦδος (*voluptas*) Il. XVIII, 80. Hoc codex Lips., spiritum lenem tuentur praeter codices Lexic. περὶ πνευμ. 222. Suidas II, 47. et alii. Cf. interpretes ad *Hesych.* I, 1604.

ἵστωρ et ἴστωρ (*testis*) Il. XVIII, 501. Spiritum asperum olim vulgo adscriptum invenimus et ab *Heynio* receptum; etiam XXIII, 486. ἵστορα omnibus fere libris inest, nec non in *Hesiodi* Opp. et Dd. 792. Schol. A ad Il. XVIII, 501. ἵστωρ ab εἴδω, εἴσω derivans ἴστωρ scribendum esse censet, ἐπεὶ τὸ ι πρὸ τοῦ στ μόνον δασύνεται. Vide *Spitznerum* ad h. l., qui, quum ἵστωρ ab ἵσημι descendat, lenem spiritum praeferendum recte judicat, provocans ad *Eustath.* 1158, 18. *Etym. M.* 478, 15. Pari modo apud *Hesiodum* l. c. ἴστορα recipiendum est. Cf. *Apoll.* Rh. I, 188. IV, 248. *Dammius* in Lex. Hom. 571, b. ἵστωρ ionicum, ἴστωρ atticum habet. Num vero hoc discrimen utique verum sit, dubitat *Spitznerus* l. c., comparans *Sophocl.* Electr. 850.

De accentu nominum propriorum.

Ad §§. 26 et 27.

Αὔλιος et Αὐλίος *Apoll.* Rhod. II, 908. Hoc vulgo; illud receperunt editores recentiores. Cf. *Wellauer.* ad l. c.

Ἀψευδής. Ad pag. 59. — *Heynius* et *Bothius* in penultima acuerunt, contra *Aristarchi* praeceptum peccantes, qui deorum marinorum vaticinandi peritorum nomina in ultima acui jussit. cf. Schol. A. ad Il. XVIII, 39. ὁ Ἀρίσταρχος — — ἐπὶ τοῦ Νημερτὴς καὶ Ἀψευδὴς οὐκ ἐποιήσατο μεταβολὴν τόνου. Falso quoque *Heynius* conjecit Ἀψευδίς et Νημερτίς.

Δεξαμένη et Δεξαμενή (*Nereis* apud Homerum) Il. XVIII, 43. *Bothius* et grammaticorum pars hujus nominis ultimam syllabam acuunt, a quorum parte starem, nisi libri et grammatici meliores contrarium suaderent. Vide *Eustath.* p. 1131, 10. *Arcad.* de acc. 111, 9. *Etym. M.* 328, 13. Δεξαμενή regulae congruit, ex qua nomina adjectiva, simulatque proprii nominis potestatem sumunt, accentum mutant. cf. Πλειστός et πλεῖστος, Δόλιχος et δολιχός; et Εὐρυμεναί, Ὀρχομενός, Ἰαμενός, quae ὀξυτόνως scribuntur. Cf. *Spitzner.* ad Il. l. c.

Ἱερά et Ἱέρα (cf. pag. 58 Ἰρή et Ἴρη). Schol. ad *Apollon.* Rh. III, 42. IV, 761. *Lehrsius* V. cl. in libro de Arist. stud. Hom. p. 303 sq. de adjectivis agens, quae omisso substantivo nominis proprii vice funguntur, haec adjectiva accentum non mutare docuit. Inde rectius scribitur Ἱερή (scil. νῆσος aut κώμη) non Ἱέρη. Cf. *Thucyd.* III, 88. *Polyb.* XVI, 18.

Νημερτής. Ad pag. 59. — *Herod. Arcad.* p. 25. τὰ εἰς της πολυσύλλαβα θηλυκὰ βαρύνονται, τὸ δὲ νημερτὴς ἐπίθετον. *Göttlingio* igitur, pro Νημερτής exspectanti Νημέρτεια, Νημερτίς aut tale aliquid, *Hesiodus* Theog. 262. scripsisse videtur:

— — — Προνόη τε,
νημερτής, ἣ πατρὸς ἔχει νόον ἀθανάτοιο,

comparans v. 235. οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος. Quum vero saepius Νημερτής nominis proprii vice fungatur et grammaticorum praeceptis defendatur, omni conjectura supersedere possumus.

Πύλαιος Il. II, 840. Sic omnes ac singuli tradiderunt. Cf. *Herod.* τοῦ Πύλαιος τὴν πρώτην ὀξυτονητέον πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ τοπικοῦ. Quum vero omnia fere adjectiva in αιος exeuntia et a nominibus deflexa circumflexum in penultima habeant, *Lehrsius* de Arist. stud. Hom. p. 307. criticos errasse et Πυλαῖος scribendum esse existimat.

De accentu substantivorum et adjectivorum.

Ad §§. 28 et 29.

ἄγηρως et ἀγήρως (*senii expers*). Cf. supra p. 63. Semper accentus in penultima erigendus est, id quod ex locis *Homeri* Il. II, 447. VIII, 539. Od. V, 136. VII, 94. 257. XXIII, 336. *Hesiodi* Theog. 302 (305). 949. 955. *Hymn.* in *Apoll.* 151. in *Ven.* 215. in *Cer.* 261. *Quinti* Sm. X, 312. et all. apparet, ubi plerumque forma distracta ἀγήραος aut reperitur aut reponenda est. De hac re doctissime disputavit *Spitznerus* ad Il. II, 447. Excurs. IV.

ἐπήτριμος et ἐπητριμός (*densus*) Il. XVIII, 211. Hoc *Ptolemaeus* Ascal. statuit; proparoxytonon ceteri grammatici praeceperant. Cf. Schol. A. ad Il. l. c. *Eustath.* p. 1139, 4. *Arcad.* de accent. 61, 9.

ἐπίσκοπος et ἐπισκοπός (*speculator*) Il. X, 38. Proparoxytonon defendit *Aristarchus* et comprobaverunt editores recentiores. Cf. *Spitzner.* ad l. c. Adde *Lehrs.* de Arist. stud. Hom. p. 310. *Nicias* l. c. dedit Τρώεσσιν. ἔπι σκοπόν.

ληΐδα (*praedam*) Il. XI, 677. *Menecrates* falso λήϊδα scripsit.

οὐρός (*fossa*) Il. II, 153. cf. *Herodian.* ad Il. l. c. et *Lehrs.* l. c. p. 275. Hoc vocabulum ne confundas 1) cum οὖρος (*ventus*; οὐρός εἰς ἀποφυγὴν τοῦ ἐπὶ τοῦ ἀνέμου), neque 2) cum οὖρος (*custos*) 3) οὖρος = ὅρος (*finis*) 4) οὖρος = ὄρος (*mons*) 5) οὖρος scil. βοῦς (*urus*).

σκύμνος et σκυμνός (*catulus*) Il. XVIII, 319. Pro vario accentu vocabula differre grammatici praecipiunt. Vide *Spitzner.* ad l. c. Schol. brev., *Etym. M.* 720, 23. cum *Gud.* 505, 35. σκύμνον *leonis*, σκυμνόν *aliorum animalium catulum* appellari dicunt. His argutiis adversatur Schol. A. Adde *Arcad.* de acc. 62, 21. Σκύμνος semper paroxytonon est, et ne tum quidem, quum proprii nominis potestatem sumit, accentum finem versus promoveri licet, ut docuit *Lehrsius* l. c. p. 276 sq.

φυλακός et φύλακος (*custos*) Il. XXIV, 566. Hoc vulgo. *Lehrsius* autem l. c. p. 309. *Aristarchum* φυλακός scripsisse et *Herodianum* probasse exposuit. Cf. *Arcad.* de acc. p. 51, 8.

De Pronominum inclinatione.

Ad §. 32.

Ad pag. 82. Ad locos Argonauticorum adde Il. XVIII, 90. ἐπεὶ οὐδέ με θυμὸς ἀνώγει. Ibi *Heynius* οὐδ' ἐμέ scripsit; *Wolfius* autem, quum Achilles nullum sibi opponat, pronomen inclinavit. Cf. *Eustath.* p. 1132, 22.

Contra Il. XVIII, 182. vulgo Ἶρι θεά, τίς γάρ σε θεῶν ἐμοὶ ἄγγελον ἧκεν; exaratum est; ibi *Spitznerus Bekkero* (in cens. Hom. ed. Wolf. p. 161.) duce tenorem erexit τίς γάρ σὲ θεῶν. Sic enim sibi opponuntur σέ et ἐμοί.

Ad pag. 83. fine paragraphi 32. — Ex hac regula *Spitznerus* ad Iliad. Excurs. XIII. p. XLIII. *Dionysii* Perieg. versus 1053 sq. εἰ δέ σε et εὐφραδέως ἄν σοι ita correxit:

εἰ δὲ σὲ καὶ Πέρσας ἰδέειν γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ,
εὐφραδέως ἄν τοι καὶ τῶν γένος αὐδήσαιμι.

De Praepositionum anastropha.

Ad §. 33.

Ad pag. 88. — Adde Il. XVIII, 400. τῇσι παρ' (πάρ'?). Propter synaloephen Schol. A. ad h. l. (adde Schol. *Ven.* ad II, 6. VII, 167.

X, 273.) anastropham adhiberi vetuit, quae tamen vulgares libros invasit et ab *Heynio* recepta est. *Bothii* errorem vituperavit *Spitznerus* ad Il. l. c. — At enim vero ipse *Aristarchus* anastropham praepositionis resectae admisit Il. XVIII, 191. στεῦτο γὰρ Ἡφαίστοιο πάρ' οἰσέμεν ἔντεα καλά, ne quis praepositionem cum οἰσέμεν construat, quae genitivo adstringenda est. Recte quidem. Sed ridiculum fere est vereri, ne Graecus rem per se manifestam male interpretetur. Si Aristarcho hoc loco anastropha, ne dicam necessaria, probabilis est visa, non intelligo, cur omnino praepositio decurtata tenorem ad initium versus retrahere non possit. Hoc magis mihi praepositionis, cujus vocalis abstersa est, tenor retrahatur, necessé videtur, quo curtior dictio facta est. Tenorem, quo praepositio vim plenam prodat, partem resectam quasi supplere oportet. Si quidem dicere licet λούσειαν ἄπο βρότον αἱματόεντα, aeque bene, idque potiori causa dicendum erit λούσειαν ἄφ' αἷμα.

Praepositiones, quae adverbiorum locum sustinent.

Ad §. 34.

Praepositiones a verbo sejunctae semper tenorem retrahunt. (cf. p. 92). Ergo scribendum est:

Il. XVIII, 31. λύθεν δ' ὕπο (pro ὑπὸ) γυῖα ἑκαστῆς
ibid. 244. ἔλυσαν ὕφ' (pro ὑφ') ἅρμασιν ὠκέας ἵππους.
ibid. 345. Πάτροκλον λούσειαν ἄπο βρότον αἱματόεντα
ibid. 347. ἐν (ἐν) δ' ἄρ' ὕδωρ ἔχεαν, ὕπο (ὑπὸ) δὲ ξύλα δαῖον ἑλόντες
ibid. 509. τὴν δ' ἑτέρην πόλιν ἄμφι δύω στρατοὶ εἵατο λαῶν,

nam ἀμφί magis ad πόλιν quum ad εἵατο referendum est.

Sed caveamus, ne temere praepositionem adverbii locum sustinere putemus. Simulatque nomen adest, quocum praepositio conjungi potest, id fiat necesse est. Cf. Il. XVIII, 64.

— — — ἐπακούσω
Ὄττι μιν ἵκετο πένθος ἀπὸ πτολέμοιο μένοντα.

Ibi plures grammatici, ut *Stephanus* et *Bothius* ἄπο (*procul*) dederunt. Cf. *Hermann.* ad Vig. not. 171, 6. *Aristarchus* autem teste schol. *Veneto* ad l. c. ἀπό exaravit, ne hac subtilitate plus incommodi quum commodi oriretur, et prudenter animadvertit *Spitznerus* ad Il. l. c. praepositionis naturam esse hanc, ut nominibus potius consocietur quam ab iis divellatur. Eadem ratione

Il. XVIII, 215. στῆ δ' ἐπὶ τάφρον ἰὼν ἀπὸ τείχεος

bene se habet, et minus probabilis est schol. *Victor.* interpretatio ἄπο τείχεος i. e. ἄποθεν τοῦ τείχεος.

Ad pag. 96. Praepositiones presse insequentes melius cum verbo consociantur. Cf. Il. XVIII, 20. νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχεσθαι, ubi *Heynius* ἀμφὶ μάχονται scripsit, obnitentibus optimis libris, *Eustathio* 1128, 16. 33. et *Moschopulo* 82, 23. Vide *Spitzner.* ad Il. VI, 461. IX, 412. et cf. XVIII, 208. τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται.

Ad pag. 97. 3). Adde Il. XVIII, 514.

τεῖχος μέν ῥ' ἄλοχοί τε φίλαι καὶ νήπια τέκνα
ῥύατ' ἐφεστάοτες, μέτα (pro μετὰ) δ' ἀνέρες, οὓς ἔχε γῆρας.

Ad pag. 100, *lin.* 6. Locus Homeri Il. XVIII, 210. ἀστεός ἐκ σφετέρου cum *Hermanno* Opuscc. II, 55. scribendum est ἄστεος ἔκ σφετέρου, ita ut ἔκ idem quod ἄπο i. e. ἄποθεν, ἔξω significet. *Spitznerus* tamen, quem ad Il. l. c. conferas, anastropham recusavit.